



[Faint, illegible handwritten text on the spine]

~~La, 26~~





b.
EDUARDI
STILLINGFLEETI,
Episcopi Vigorniensis Angli,
EPISTOLA
AD DEISTAM,

QUA

AD DIVERSAS EJUSDEM ADVERSUS S.
SCRIPTURAM OBJECTIONES SOLIDE RE-
SPONDETUR, SIMULQUE RELIGIONIS CHRISTIANÆ
ET SACRARUM LITERARUM VERITAS ATQUE
AUCTORITAS PERSPICUE GRAVITERQUE
VINDICATUR.

ANDREAS ADAMUS HOCH-
STETTERUS

EX ANGLICANO IN LATINUM SERMO-
NEM CONVERTIT LUCIQUE PU-
BLICÆ

AD COMPLURIUM VOTA EXPONI
CURAVIT.

ULMÆ,

Sumtu GEORGII GUILIELMI KÜHNII,
Typis Hæred. Christiani Balthasar. Kühnens.

CIO IDC XCV.

SUMME REVER. AMPLISSIMOQUE

**D. OTTONI
MENKENIO,**

S. T. L.

**ET IN FLORENTISSIMA LIPSIENS. ACADEMIA
PROFESSORI FAMIGERATISSIMO**

**INCLUTIQUE QUOD ERUDITORUM
ACTA RECENSET COLLEGGII AUCTORI
PRÆSIDIQUE CLARISSIMO,**

V I R O

AC POLYHISTORI SUMMO

CUI

**OB EXCELLENTISSIMA IN REM
OMNEM LITERARIAM MERITA**

**IMPENSUMQ. RECENSENDIS ULTRA
XII. ANNOS**

**DOCTORUM NOSTRÆ ÆTATIS OPERIBUS
LABOREM**

**TOTUS QUAQUA PATET
ERUDITORUM ORBIS**

ADPLAUDIT

EGO VERO

OB INCENTEM ADFECTUM

HOSPITIO NON SOLUM BLANDISSIMO

**BIBLIOTHECÆ QUAM POSSIDET
INSTRVCTISSIMÆ CONCESSO VSV ACCESSVQUE
LITERARIÆ**

**AD GERMANOS BELGAS TOTOQUE
DIVISOS ORBE BRITANNOS**

**PEREGRINATIONIS DIRECTIONE
STU-**

STUDIOR, QUALIUMCUMQUE
APVD BONOS OMNES COMMENDATIONE
REDUCISQ. COMPLEXU SUAVISSIMO
SED ET
EPISTOLIS FAVENTER EXARATIS
VETERI SEMPER AMORE
OMNIQ. ERUDITIONE REFERTIS
LUCULENTER AFFATIMQUE
DEMONSTRATUM
DIGNAS EQUIDEM GRATIAS
REFERRE HUCUSQUE STUDUI
NONDUM POTUI
EAQVE PROPTER
HOC QUIDQUID EST OPELLÆ
TAMETSI ALIENÆ
NEC NISI QUA TRALATIONEM MEÆ
IN
DURATURÆ PERPETUUM
OBSERVANTIÆ GRATITUDINISQUE

ARRHABONA

DO DICO

CONSEUROQUE


M. ANDREAS ADAMUS
HOCHSTETTERUS
ECCLESIAE TUBINGENSIS
DIACONUS.

PRÆ-



בשי

PRÆFATIO.

 Vanquam in pri-
vatos potissimum
usus concepta pri-
mum Epistola hæc
fuit, hominiq; cui-
dam, divini quidem Numinis ex-
istentiam providentiamque agno-
scenti, scripturis v. & Religioni
Christianæ parùm hætenus aut
nihil pene tribuenti inscripta:
quoniam tamen commune ferè
A 3 Sce-

Scepticorum seculi nostri thema hoc est, ideò dignum Auctori argumentum videbatur, cui laboris nonnihil temporisque impenderet, ponderaque obiectio- num, quæ moveri adversum ista possent, accuratius sollicitiusque expenderet; imprimis quum adverteret, graviter hætenus ac seriò rem suam egisse adversariū, sepositaque omni scurrilitate & prava cavillandi libidine, quacum Religionem alias crassi inficetique ætatis nostri homines adgredi solent, disceptasse. Equidem fure meritoque postulari ab illis poterat, qui humanum ingenium

mo-

moresque cultiores præ se ferunt,
ut reverentius ejusmodi rem ha-
berent, quæ tantum inter opti-
mi præstantissimique ingenii at-
que inculpatae educationis homi-
nes prævaluit, ut omni studio
conatuque eam promoverent,
tametsi nihil inde utilitatis com-
modive in illos redundaret!

Quotusquisque, qui enim est, qui
nesciat communibus humanae con-
versationis Legibus omninò ad-
versari, si quis indignius contu-
meliosiusque habere audeat, quod
alii magnâ ab se ratione aestimari

A 4

ama-

amarique existimant: Hi verò indignè adeò Religionem habent laceffuntque, ut ne vilissimum quidem servorum, contemni ità proscindique convitiis passuros ipsosmet planè mihi persuaserim. Cæterum si eludendi solum ridendique animo agant cum sacris hisce nostris, tum propria haud dubiè conscientia ipsos convincet, horrendam istam ac detestabilem prorsus impietatem esse: sin aliter, igitur pacatè atque seriò rem omnem examinent, nixamque solidiore fundamento sententiam amplectantur. Utut enim

veterum

veterum Scepticorum, adversus
ipsam sensuum & rationis certi-
tudinem disputantium, exempla
manifestè doceant, quàm non
difficile sit humanæ menti, clarif-
sima quæque in hoc Mundo
ingeniosè acriterque impugnare:
Quis tamen quæso mortalium vel
communi sensu præditum esse
illum judicaret, qui Solis existen-
tiam, aut colorem nivis in dubium
vocaret. Quamquam enim non
dicamus, ejusdem cum sensibilibus
evidentiæ esse materias religionis:
perspicacis tamen atque acris præ-
cipuè ingenii esse arbitramur cog-

As

noscere

noscere proportionem eviden-
tiæ ad naturam rei ipsius quæ
probanda nobis incumbit.
Nemo utique ad tangibilia oculo-
s, nasumve ad Metaphysica
postulat: Quàm ergò absurde
sensuum iudicio immaterialia
subjiciuntur? Quare tum demum
de impotentia defendendi Religio-
nem nostram accusemur, ubi
probatum antè fuerit, nos istius-
modi, pro eâ tuenda fundamentis
rationibusque destitui, quales
ipsa quidem Religionis Natura
patitur & admittit. Ipsa verò
intacta relinquatur Religio,
donec

donec constet nihil amplius suppetere, quod pro tuenda^â ejus causa^â afferatur.

Nuperus admodum Scriptor est, quem in pretio apud illos haberi audio, qui* atheistica quælibet, quantumvis frivola levissimæque amplectuntur. Cujus equeidem libelli falsissimas argutationes & hypotheses inter se haud quaquam consistentes aperire haud grave esset; quanquam Latino sermone, quo scriptus est, refutatus jam sufficienter fuit. Quod si tamen ut augmenta apud
nos

* Tract. Theol. Polit.

nos Impietas sumat, in patrium,
uti ferunt, sermonem transfere-
tur, non defuturos persuasus sum,
qui defendere Religionem bonosq;
mores parati sint æquè, atque alii
contemnere eosdem ac infamare.

Literæ



Literæ responsoriæ ad
personam de veritate & au-
toritate scripturarum du-
bitantem.

Domine,

Quanquam parùm à me in pro-
fundiora Theologiæ penetra-
tum esse lubens fateor, vehe-
menter tamen totoque animo
solicitus sum, ne quidquam detrimen-
ti *honor veritasque* Religionis Christia-
næ patiatur, quam scriptione tua, qui-
busdam veluti cuniculis subvertere ag-
gressus es. Et illas quidem pagellas Tuas
cum primùm perlustrarem, vix mereri
existimabam, quibus seorsim, & à me in-
primis, quem diversæ adeò aliæ occupa-
tiones

tiones premunt urgentque, cui denique nec otium favere nec valetudo videatur, reciproca scriptio opponeretur. Quandoquidem verò tanto cum animi impetu responsum abs me flagitas, ut animo tandem Tuo, quies tranquillitasque concilietur, non potui prorsus istud eximia charitatis, quod tu vocas, officium recusare: tametsi enim, cum objectiones tuas, factamque earum abs Te applicationem considerarem, difficulter admodum mihi persuaserim, illas à dubiâ, aut tali mente processisse, quæ ullam tranquillitatem desideret: quum tamen omninò ita mihi memores, CHARITATEM tibi meam facili primum assensu demonstrabo, utque tuæ dein petitioni satisfiat qualecunque hoc, sed æquum iudicium meum suggeram, feramque, quia petis, suppetias. Plus enim ad finem illum obtinendum conducere posse existimo semotum à partium studio consilium, quam si multo chartarum temporis

ris.

risque impendio conquifita undiq; dubia percurrerem, qvalia qvidem cavillanti animo non grave est adversum apertissimam quamque veritatem movere. Addeò nihil clarum uspiam atque evidens est, ubi non habeat quod oggerat Ingenium Sophisticum. Cæterum si ille es, quem Te esse conjicio, tum latere utiq; Te non poterit, fuisse non unos, quibus nec ingenium defuit nec Eloquentia, qui id sibi sumferunt probandum: Nihil uspiam in mundo existere, & si quid existat, non tamen intelligi ab Homine posse; aut si ab uno intelligi queat, alteri tamen exprimi haud posse. Atq; ut temerarios istos homines mittã, quot jam olim fuerunt illorum, qui plausibilibus subtilibusq; argumentis ausi sunt subvertere, quemcunque certitudinis modum, sive sensu illa, sive ratione cognoscantur. Inde ne verò sequitur, omnem certitudinis prætextum deponendum deserendumque esse, quia forsan responderi ad sin-

B

gulas

gulas Scepticorum argutias haud possit?
 Quocircà prorsus displicet ille tuus procedendi modus, quo responderi prius ad particulares quascunqve difficultates postulas, quàm principales CHRISTIANÆ FIDEI evidèntias consideremus. Via enim rationalis hoc in puncto sola, modusq; procedendi unicus est, ut consideremus primò, sintne sufficientes rationes, quæ persuadere Te ad amplectendum fidem Christianam possint? deinde, ut dubia ponderemus, eaqve cum rationibus argumentisqve credendi comparemus. Et si illa non tantùm habeant ponderis, ut rationum momenta superent, standum Tibi prorsus erit in Christiana fide, tametsi nondum possis respondere ad quamcunq; difficultatem, quæ adversùs libros illos, quibus Religio nostra continetur, pugnare videtur. Quæso te, mi bone, annon sufficienti fide hominem quendam Christianum gaudere posse existimas, quâ salvari queat, tametsi solvere haud possit quas-

libet

libet difficultates *Chronologicas* in Scri-
pturis occurrentes, nec recensere singulas
Leges ritusq̄ve Judæorum, aut explicare
Prophetarum schemata, numerumve
bestiæ in Apocalypsi assignatum adapta-
re valeat? Quare ergò ad evertendam
fidem Christianam adferuntur hæc talia,
si quis sine salutis detrimento carere illo-
rum notitiã possit? Nonne satis ratio-
num suppetere existimas, ut credam, *dari*
extensam in Mundo materiam, quanqvã
non facilè solvantur difficultates, quæ ob
extensionem aut divisibilitatem moven-
tur; aut ut firmiter quis *persuasus sit*, se
habere animam, tametsi declarare haud
possit, quomodo unita esse queat *substantia*
immaterialis cum materiali, quales quidẽ
anima nostra & corpus sunt; aut solem
splendere, utut demonstrare non pos-
sit, utrum Sol aut Terra moveatur;
aut certitudinem quandam rerum habe-
re, quanqvam indubitatum veritatis fal-
situdinisve *απειρίων* assignare haud pos-
sit? Quæ omnia eo fine adduco,

ut ostendam, res etiam certissimas difficultatibus suis non carere, ad quarum tamen solutionem nemo mortalium teneri se ideò putet, ut rerum ipsarum certitudo eadem confirmetur : Tamdiù potius quilibet, quamdiù ipsa earum evidentia luculentior est motis adversum illas objectionibus, tutò adquiescit certæ cognitioni illas existere, difficultatum v. explanationes ratiocinatoribus hujus Mundi, aut plenæ *cognitioni alterius* vitæ relinquit. Et annon rationabilius est credere, in libris adeò antiquis quales sunt Mosaici, scriptique Lingua cujus Idiotismi tantùm à nostris differunt, occurrere aliquando posse difficultates vel *in phrasibus, vel in computo temporum* recensue consuetudinum populi, quas nondum bene possimus intelligere, quàm eo procedere temeritatis ut statuamus, miracula à Mose patrata fuisse imposturas, aut Legem tam constanter præservatam, eoque
 animi

animi proposito à sapientissimis Judæorum defensam, ut vitam potius ponere quam abnegare eam mallent, non nisi ad fallendum fuisse excogitatam? Nonne rationi magis est consentaneum accusare ipsorum et nostrum intellectum, qui sermones actionesque nonnullas Prophetarum nondum percipiat, quam suspicari, Homines qui augmenta virtutum, vitiorumque decremента pro scopo habuerant, hypocritarum Impostorumve numero accensendos? An quisquam hominum, vel communi saltem sensu præditus, pro impostura habere potest Religionem Christianam, quia intelligere non possit bestiarum numerum, aut Apocalypticas interpretari visiones? Sane vix unquam credidissem, potuisse talia ab Homine qui rationem adhuc prætendat, opponi, nisi vidissem ista, atque ad respondendum istis fuissem provocatus.

B 3

Itaque

Itaque ferium hoc æquumque ante omnia consilium Tibi suppedito, ut consideres primùm examinesque Principale punctum, i. e. argumenta, quibus Religio Christiana probatur, non autem hinc & inde in Scripturis ista veneris, quæ difficilia tibi videntur, ne corrasis ita coactisque omnibus, Scriptura rudis quædam atque indigesta moles videatur: quam tamen, si distinctè, ac decenti cum modestia & sollicitudine, diligentiaque, consideretur, nihil prorsus, quod non sacrosancto illi atque venerabili Nomini, quod inter nos gerit, conveniat, continere luculenter apparebit.

Quod si ergò non cavillandi studio, sed ut animo satis fiat Tuo, rem hanc agis, tum ad hoc imprimis punctum respiciendum jam esse cogitabis: AN RELIGIO CHRISTIANA SIT A DEO, AN VERÒ AB HOMINIBUS? Si enim probavero, à DEO illam esse, sponte suâ cadent reliqua omnia,

omnia, aut facili tamen opera removebuntur. Quod ut eò rectius à me fiat, considerata *primò* illa erunt, de quibus inter nos convenit, dein illa, in quibus differimus expendenda.

Concedis ergò

1. Dari essentiam absolutè perfectam ac independentem, quam vocamus DEUM.

2. Mundum in sui initio creatum, fuisse ab hoc Numine, atque etiamnum ab ipso gubernari.

3. DEUM illum adeò sanctum esse, ut nullius peccati autor esse possit, tametsi hominem à peccando non impediat.

4. Eundem hunc DEUM esse, cui proprium cultum invocationis, laudum, &c. debeamus.

B † Hujus

5. Hujus DEi voluntatem esse , ut sanctam , pacificam atque innocentem vitam ducamus.

6. DEum velle accipere sinceram hominis pœnitentiam piosque faciendæ divinæ voluntatis conatus, tametsi eidem perfectè non obediant.

7. Expectandum in alio seculo præmiorum pœnarumque statum esse, quo cuius secundum vitam in hoc mundo actam retribuatur.

8. Plurima eaqve excellentissima præcepta in N. T. esse, quæ ad humilitatem, sui ipsius abnegationem, DEIque honorem, officia denique civilia honestatemque vitæ impellant : idque perfectius longe, atque in ulla religionis professione, de qua publice constet, uspiam reperiatur. Ad duas ergò quæstiones tota nunc lis redit.

Primò, *An RES FACTI in scriptura N. T. memoratæ sint vera:*

2. An

2. An, *supposito* quod sint veræ, sufficienter probent doctrinam istam à DEO esse ?

Ad i. quod attinet quæstionem, vellem equidem, rationes tuas dubitandi clariùs distinctiusque appofuisses. Quantum tamen possum colligere, eò illæ redeunt,

1. *Nullam ejus rei certitudinem esse posse, quæ tanto temporis interstitio contigerit, cum tot fictitias in Mundo Historias fuisse constet.*

2. *Probabile esse, res istas fuisse tum consignatas, cum nemo esset qui earum falsitatem detegeret ; Et sic, inquis, Græcis, Romanis, Ægyptiisque primum à nonnullis impositum fuit, qui prætendebant ipsis tradere Historiam Deorum Heroumque ipsorum, itemque miraculorum ab ipsis patratorem.*

3. *Et talia quidem faciliùs fieri potuisse ante inventam artem Typographicam ; suspicandique rationem eò majorem inde*

B S

esse,

esse, quòd pias primorum Christianorum fraudes Legendasque Papistarum nemo possit negare.

4. Plures forsàn deceptiones imposturasq; fuisse in propagandis falsis revelati-
onibus miraculisque, quàm quidem nos nunc possimus detegere.

5. Neque hìc Scripturæ aut Christianorum Scriptorum testimonia recipienda esse, quia suspecti esse possint ob partium studium: itemque, quòd testimonium Josephi fraudulenter à Christianis suppositum esse plures Viri docti existiment.

6. Sufficientia quoque ejus rei fundamenta esse, in ipsa Historia, hostiumque objectionibus; propter contradictionem nempe ejus, & quòd inter se non cohereret, ob defectum complementi promissionum prophetiarumque in ea contentarum, obscuritatem etiam aliarum partium, quæ intelligi nequeant, defectum personarum quæ in ea memorentur, S. Pauli ostentationem,

nem,

nem, lites inter Petrum Paulumq̄ue,
hunc DENIQVE inter & Barnabam.

7. Atq̄ue his de causis justam Tibi
causam suppetere dubitandi de Aposto-
lorum sinceritate, suspicandiq̄ue adeò,
indirecto prorsus sine e-vulgata ab ipsis
prætensaq̄ue miracula fuisse, quæ in Scri-
pturis describuntur, ut nempe hac ratione
disponerentur homines, quo ipso novæ
cujusdam Sectæ aut Religionis antefig-
nanos fieri permetterent, dominariq̄ue
ipsorum conscientis: ut deniq̄ue satis
haberent temporis, quo durante, suis ve-
lificarentur commodis, priusq̄vam initia
sumerent persequutiones. Et hæc ferè
sunt argumenta, quæ ex pagellis tuis hinc
inde conquisivi, quibusq̄ue invalida co-
naris reddere testimonia, quæ res facti
in Novo Testamento allegatas con-
cernunt.

Ad

Ad quæ ut distinctè respondeam, monstrandum mihi 1. erit, res facti, quæ tanto inde temporis spatio contigerunt, sufficientem habere posse evidentiam, quibus homines ad credendum illas obligentur. 2. Nullam esse rationem suscipiendi de veritate rerum facti in Historia N. T. memoratarum. 3. Apostolos maxima sinceritatis suæ testimonia edidisse, & talia quidem quibus majora expectari ab illis haud potuerint: neque ullas unquam res facti melioribus testimoniis confirmatas fuisse, quam illas ab ipsis recensitas; unde sequitur, non hanc rationem: sed destitutam prorsus ratione SUSPICIONEM & scepticismum esse, (nisi voluntaria plane obstinatio dicenda sit,) quæ homines ad dubitandum ultrà de re tam evidenti inducat commoveatque.

I. Materias facti, quæ tanto temporis interstitio ab nostra ætate contigerunt, eam tamen evidentiam habere posse, quæ ob-

obligare nos queat ad credendum illas esse veras, primum est quod probandum nobis incumbit. Eo enim aliquot objectiones Tuæ videntur tendere, quod nullam harum rerum certitudinem habere possimus, quia ignoremus fraudes priorum seculorum, quibus multo facilius fuerit decipere quàm nostris hisce temporibus; quodque in confesso sit, non paucas istiusmodi fraudes irrepsisse, quæ longo tempore inter homines prævaluerint.

Verùm eadem argumenta ab Atheistis quoque adversum omnem in universum religionem adducuntur. Itaq; si fraudes circa religionem commissæ nihil præjudicant Existentiæ Dei, quomodo præjudicarent Religioni Christianæ? Et si generalis omnium consensus quidquam ad DEITATIS cujusdam agnitionem confert, cur non & Christianæ Ecclesiæ testimonium, tot tantisque cum circumstantiis, sufficeret ad generandam
cum

cum quadam certitudine receptionem, materiarum facti ab illa recensitarum? Id quod omne est, quantum hac vice postulo. An enim unquam in dubium vocatae sunt Historiae communi Graecorum Latinorumve Scriptorum consensu nobis traditae, ideò quòd nonnisi horum testimoniis nitantur? Et Tu solus ita objectionibus tuis iisdem te opponeres? Unde novimus Romani Imperii Excellentiam? nonne ab illis ea descripta est, qui ad illud ipsum spectabant, quorumque intererat nonnisi summa quaeque de illo commemorare? forsan deperditi sunt mille historici, qui quaecunque nos de magnitudine Romae antiquae legimus, confutarunt. Forsan à Carthaginensibus desolata Roma fuit, aut victum ab Hannibale Romanum Imperium? forsan Catilina optimorum probissimorumque Mortalium unus fuit? Ita sanè suspicari de his omnibus posses, quia non-

nonnisi ab unâ parte tradita ad nos pervenerunt. Forſan Perſæ Macedonios deſtruxerunt, quia quæcunqve de Alexandri expeditionibus habemus, originem ſuam debent Græcis? Et qui non majus longè partium ſtudium in his Scriptoribus ſuſpicemur, quàm in Chriſtianiſ, qui fidelitatis integritatiſqve ſuæ evidentiâ eodem millies ſuperant? Rurſus. Finge verò, eſſe hominem iſtiusmodi, qui vocare in dubiũ audeat optimas quarumvis gentiũ hiſtorias, eâ de cauſa, quod ab ejuſdem gentis Scriptore exarata relatio ſit, nonne ludibrio iſtiusmodi exponeret, aut portentum meritò hominis audiret? Unde apparet, Te nunquam ullum competens teſtimonium admiſſurum: quodſi enim res hiſtoricæ ſcriptæ ſint ab hoſtibus aut peregrinis, cauſam habebimus ſuſpicandi de cognitione & integritate ipſorum.

Si ab

Si ab amicis, qui quidem nosse veritatem poterant, dubia tamen erit fides, quia forsitan partium studio laborarunt; Ita ut hoc ex principio, nulla omninò Historia, siue vetus illa sit siue recentior, assensum mereatur, quippe vel ab amico vel hoste descripta; destruaturque adeò omnis non divina saltem fides, sed & humana.

Ego certe vanæ ac ratione destitutæ credulitati haud quaquam patrocinator; parem tamen suspicionem æquè averfor, cum illud stultitiæ, hoc furoris sit. Nemo cui sanum est synciput, quicquam ideò credit, quia verum esse possit: sed nec prorsus quicquam rejicit, quia forsàn falsum esse queat; quin hoc prudentiæ potius est, ponderare prius quaslibet rerum circumstantias, & tùm demum, vel assensum præbere, vel dissentire. Nemo est qui ignoret, decipere homines posse vel decipi; verum & hoc novimus, nullam utriusque esse necessitatem; esse quoque
in

in Mundo illud, quod *veritatem* vocamus: & quanquam decipere homines possint, non tamen semper illos decipere; posse denique quemvis cognoscere, se non esse deceptum. Hoc enim nisi esset, nihil tale, quod *societatem* appellamus, obtinere inter homines posset: neque amicitia daretur, nec fides verbis alterius esset adhibenda. An verò ideò, quòd optimus quisque amicorum fallere me possit, plenusque dissimulationibus sit Mundus, nemini mortalium adhibenda à me fides sit? Atque hæc quidem consequentia legitimè ex Tuo isto arguendi modò derivatur, quod *suspectam* meritò habeamus *veritatem* materialium de facto, quia plurimæ fraudes in Mundo fuerint, & esse plures potuerint, quam quidem nos nunc ostendere possumus. Huic enim principio si insistamus, omnem humanam societatem destruemus, quippe quæ mutua hominum inter se fide nititur.

C

Tametsi

Tametsi verò omnes homines possint fallere, quia nemo nostrum cor alterius introspicit, istiusmodi tamen *honesti fidelitatisque characteres* in nonnullis deprehenduntur, ut capitis sæpè fortunarumque periculum pro verborum ab amicis auditorum veritate nonnulli adire audeant. Et quis unquam, cum ita faceret, stultitiæ fuit accusatus? Nonne sagacissimi quoque prudentissimique mortalium, maximam sæpè fiduciam in aliorum integritate collocarunt? Ad hæc, si suspicionibus ita indulgendum, nihil unquam, quod magni momenti ponderisque est, geri usquam posset. Quandoquidē summi quique & Principes Viri aliorum auxiliis ad expediunda feliciter negotia & res gerendas opus habent, necesse sanè est, ut semper ferè aliis, fiant; quivis etiam vitam suam, aliorum potestati credit, servorum imprimis, ubi aditum illis ad se concesserit.

Ideò

Ideone ergo in continua suspicione metuque vivendum ipsi erit, quia forsitan possit decipi? Quod uti rationi plane adversatur, ita luculenter vicissim evincit, non obstante, quod quis possit decipi, fidem tamen in certo casu hominibus adhibendam, ipsorumque fidelitati credendum esse. Quo concesso, inquirendum porro est, quænam illa quasi cautio sit propter quam fidem aliis habeamus? Et ubicunque easdem concurrere circumstantias, æqualemve fidelitatis evidentiam deprehendimus, ibi parem quoque fidem merito tribuimus. Facile autem reperimus, non nuda verba esse, propter quæ alicui credamus: aut enim ejus existimatio & integritas à discernendi facultate pollentibus viris observata, aut longa nostri cum illo conversatio & experientia fidem in nobis excitat. Et posterior quidem hæc solis nobis relicta est,

C 2

& æ.

nec ab aliorum pendet examine, prior autem generatior est, & ætatem quoque nostram superare potest, cum iudicio præditorum hominum testimonio longa ad nos serie derivari queat; quemadmodum Amici quoque, tametsi centum forte milliari- bus diffusi, animam certo modo, scripto scilicet, cognoscere possumus. Atque eo in casu nihil ultra desideramus, quam ut certi reddamur scripta hæc ab illis esse, mererique quibus credamus, quoad illa quæ scripto significarunt. Ita si quis certus esse velit circa Historias Belli Pelopponesiaci, audiveritque illas accuratè à Thucydide descriptas esse; *illi inquirendum primum in hoc est, an aptus fuerit Thucydides ad fungendum rite Historici munere?* Et cum responsi acceperit loco, illum magni ac perspicacis ingenii hominem fuisse, circaque belli istius tempora vixisse, & singulos in eo casus cognovisse; postea inda-
gans

gandum, num dignus fide scriptor sit? cui ut satisfiat, aliter fieri non potest, quam ut consideret, Historiam illam magni semper ob integritatem suam à doctissimis viris rerumque callentissimis habitam fuisse. At, inquis, unde cognoscet certò, hanc eandem esse Historiam à Thucydide olim scriptam, quandoquidem constet, tot supposititia scripta literato orbi obtrusa esse? Quod ut obtineat, præter constantem omnium eruditorum tot retrò seculis consensum, comparanda insuper erunt testimonia inde citata, cum ipsamet Historia quam nos habemus; considerandus quoque stylus cum caractere quem Thucydides à doctis obtinuit; conferendæ denique narrationes cum aliis horum temporum fide dignis Historiis: quæ omnia ubi conveniant, non video sanè quid obstare ultra possit, quo minus aliquis credat, hanc ipsam esse Thucydidis Historiam, fidemque ei habeat.

Utique omnes eruditi fatentur, plurima
 extare scripta supposititia; num vero ea
 de causa simul dubitant, an ulla extent
 genuina? Aut an γνήσιον habeamus He-
 rodotum, Strabonem, Pausaniam, ideò
 quod extent spurii Berofus, Manetho &
 Philo, ab Annio Viterbiensi suppositi?
 Quis unquam dubitavit genuina Cice-
 ronis opera ad nos pervenisse, quia Ita-
 lus quidam libellum de Consolatione
 in illa intrusit? aut quis mortalium su-
 spicatus est, Cæsaris Commentarios ab
 ipso scriptos non esse, ideò quod incer-
 tus sit auctor libelli, qui iisdem subnecti-
 tur, de Bello Alexandrino. Quibus
 recte pensitatis constare existimo, non
 modò certos nos esse posse de fidelitate
 illorum, quibuscum conversamur, sed
 & de illis omnibus, quæ longo quidem
 temporis abhinc intervallo contigisse te-
 stimoniis Scriptorum affirmantur, non
 obstante quod plurima supposititia
 scri-

scripta in orbem irreperint. Si quis
regerat, *omnia illa meras res Historicas*
concernere, de quibus parùm referat, ve-
rè ne sint an falsæ: at illa verò, de quibus
nunc disquiramus, talia esse, à quibus
salus aut damnatio hominis dependeat,
proinde majorem quoque eorum eviden-
tiam requiri, quæ homines ad credendum
ea obligentur: Respondeo, hac potissi-
imum intentione dicta ista abs me esse,
ut probarem, non obstante deceptionis
possibilitate, sufficientia tamen funda-
menta suppetere, quibus inniti firmite-
queat assensus fidesque, iis tribu-
enda rebus, quæ eodem abhinc tem-
porum interstitio contigerint, quo qui-
dem gesta N. T. evenisse memorentur.
Quæ causa quoque est, quod ostendere
conatus modò sum, generalia ista præ-
judicia rationi prorsus repugnare. Ne-
que nunc quidquam in redhostimenti
vicem pro navato labore isto desidero

abs Te, quàm ut eundem saltem Evan-
gelicæ Historiæ assensum præbeas, quem
quidem Cæsari, Livio, Tacitove aut
ulli profanorum alii tribuere non recu-
sas. 2. Quod majorem assentiendi obli-
gationem concernit, respondeo; illam
dependere ab evidentiâ divinæ revelatio-
nis, quam habent res facti ad nos usque
historicè devolutæ. Atque hîc liceat abs
Te quærere. 1. Num ulla ratione Tuis
de Deo conceptibus repugnet, *De-
um ad manifestandam voluntatem suam
adhibere homines per se fallibiles*? 2. An
isti homines, tametsi per se fallibiles, de-
cipere possint aut decipi etiam tum, cum
DEUS mentem illis suam aperuit? 3.
Annon etiam illi, qui hominum isto-
rum ætate, quibus ita divinam volunta-
tem patefactam fuisse supponimus, non
vixerunt, obligentur ad fidem illis adhi-
bendam? Si non tenentur, tum rectius
utiqve ab omni revelatione abstinuisset
DE-

DEUS, aut novam quovis seculi revelationem fieri oportebit. Si vero obligantur, tum nos æqvè tenemur fidem adhibere, ac si cum ipsismet hominibus Θεοῦ νέυσαι conversati his in terris fuissetus.

Dico II. nullam esse rationem suspicandi de veritate rerum facti in N. T. commemoratarum. Quandoquidem enim communi assensu notum firmatumque est, humanum testimonium, modo non positiva de illo suspicandi ratio adsit, sufficiens assentiendi fundamentum esse, quoniam decipere aut decipi de communi humani generis utilitate non est, ideò generalia suspicionis fundamenta considerari heic debent, & num illorum quædam ipsorum quoque Apostolorum testimonia tangant, in quantum materias facti ab iisdem memoratas concernunt. Fundamenta autem quæ justam suspicionis causam inferunt,

ferunt, sunt sequentia. 1. Si personæ, de quibus dubitatur, suspectæ merito ac in vulgus notæ sint ob technas fraudesque, & quorum conscientia parum refert an vera loquantur, ubi mendaces esse ipsorum interest; quod in Papistarum legendis confictisque miraculis nimis certò obtinet. 2. Si fabellas suas & doctrinam moribus atque genio illius attemperant gentis, cujus decipiendæ sibi que subjiciendæ spem habent; qui modus fallendi Muhamedis fuit, bella lascivitateque commendantis. 3. Si scenam fabellarum tanto temporis interstitio locent figantque, ut sua ætate earum vel existentiam probare vel negare sit impossibile, uti Brachmanes fecisse constat cum Brachma suo & Vedâ, Gentisque reliquis fabulosis (ut sic loquar) Deitatibus. 4. Si quid in ejusmodi historiis (liceat modò uti hoc vocabulo) contineatur, quod authenticis maxime illo-

illorum temporum historiis repugnet, quâ ratione Anni imposturæ fuerunt detectæ. 5. Si evidentes in illis contradictiones, aut tale quidpiam occurrat, quod Majestati, Sanctitati, sinceritati aut Harmoniæ Divinæ Revelationis repugnet: quæ causa aliàs esse solet, ob quam fictitias fanaticorum revelationes rejicimus.

Horum si quidquam in scriptis N. T. deprehenderetur, tum suspicandi quædam de illorum veritate fundamenta meritò agnosceremus. Ostendam vero Divina adjutus gratia, nihil tale in illis uspiam reperiri.

Et i. quidem ad personas quod attinet, quæ aliòs solent decipere, eas istiusmodi communiter esse constat, quæ artem decipiendi experiundo didicerunt, jamque utilitatis non nihil ex suis fraudibus perceperunt, priusquam abuti adeò aliis ausi essent, ut mendacia impostu-

sturasque in religione obtruderent: Unde est, quod Atheistæ mundum *aut ab* *Legislatoribus* politicisque deceptum inductumque dicunt, ut religionem amplecteretur; quomodo his in fraudibus, quas vocant illaque decipiendi arte exercitati fuerint Numa, Lycurgus, Xaca vel Mahomet: *aut ab astutis Sacerdotibus*, qui spei metuive superstitiosæ multitudini se accommodare noverint, unde ortum quoque suum traxerit ingens ille fraudum in Templis Oraculisque gentilium numerus. Sed quis mortalium tam clandestina consilia fraudesque artificiosissimas paucis piscatoribus imputabit, & ita quidem rudibus, parumque in Mundanis hisce versatis, ut vix cum plebe Hierosolymitana conversari noverint? Quia unquam ætate auditum fuit, mortalium simplicissimos tantam in religione mutationem introduxisse, ut primos quidem Christianos fecisse constat;

Stat, adversumque violentissimas quas-
que persecutiones? Qui tametsi adeo
prævalerent tandem, communis tamen
omnium vox erat, illos rudium, humi-
lium, obscurorum, illiteratorum ac sim-
plicium hominum gregem esse. At
illi verò contempta omni arte, malitia,
eruditione, numeroque adversariorum
suorum, vicerunt tandem pertinaciam
Judæorum, Græcorumque sapientiam.
Et quæso, si eo saltem fine Christianam
Religionem promovissent Apostoli, ut
novæ sectæ Antesignanos semetipfos
facerent, quid hoc aliud fuisset, quam
artes technasve duodecim hominum,
nullius planè existimationis, & ad quos
nihil inde utilitatis redibat, sapientiæ ac
potentiæ universi Mundi opponere?
Quare si quidquam apud illos Sapien-
tiæ superfuisset, nihil unquam tale, pri-
mo intuitu impossibile, suscepissent.
Quod si verò destituti sapientiâ seculi
fue-

fuerunt, qui unquam spem vel levissimam conficiendi tanti moliminis habere potuissent? Porro si existimationem sui pro fine scopoqve habuissent, mille utique alias ejusdem obtinendæ vias excogitare potuissent, easqve longè faciliores. Quodsi enim homines supponamus, qui cum vitæ etiã suæ periculo existimationem quærant, tales omnino supponendi nobis sunt, qui obtinere eam aliter nequeant; at si absqve ejus dispendio scopum hunc suum assequi possint, utiqve nec eandem periculo exponent. Et quàm inprimis S. Paulum eruditâ educatione cœteros superantem aggredi videare, de ejus saltem persona quæstionem nunc formabo: numne rationabile sit credere, quod cùm in magna Synedrii gratia favoreqve constitutus esset, proximeqve ad altiora provehendus ob intentatas Christianis persecutiones videretur, facilèqve
adeò

adeò honorem sibi conferendum prævi-
deret, ipse tamen voluisset deserere o-
mnia ista, jungereque se tam despiciatæ
invisæque societati, qualis Christiano-
rum erat, eo saltem fine, ut caput tam
exigui numeri fieret, cum amicorum
non saltem utilitatumque omnium de-
trimento, sed continuarum quoque
persecutionum afflictionumque incur-
su? Possent quidem fieri hæc talia ab
hominibus deceptis parumque honestis;
at nunquam expectandum erat ab ho-
mine, qui pleno adhuc sensuum usu
gaudet, ut fraudibus, quas tales esse no-
vit, tanto suarum rerum dispendio se
implicet, quibusque apprehensis non ni-
si deteriora sequutura certo cognoscat.
Inaudita illa mundum decipiendi libi-
do esset, si quis præsentem honoris fa-
cile obtinendi spem desereret, & cum
inevitabili periculo suimet ipsius, vita-
que perpetuis cruciatibus exponenda in
alio-

aliorum delusione delicias quæreret. Si enim Apostoli, omnia quæ prædicabant, falsa esse cognovissent, & nihilominus tanquam necessaria ad credendum inter homines urfissent, tum utique impostorum, quos unquam orbis habuit, maximi fuissent. Verum quum constet, homines quorum deliciae fraudes sunt, variis plurimisque artibus in decipienda plebe uti, omnes quoque technas se insinuandi, verborumque adulantium adparatum in promptu habere; quis unquam talia in Apostolorum scriptis deprehendit? Quam acriter illi de occisione Christi coram Synedrio verba fecerunt? Quanta cum simplicitate Christum persuadere aliis studuerunt? simpliciter enim res facti quoad Resurrectionem memorabant, dicebantque se oculares ejusdem testes esse, hocque proprio suo nixi testimonio fidem poenitentiamque Judæis & Gentibus

bus

bus prædicabant? Quid vero unquam ab omni fraudis specie fuit magis alienum? Adeò ut siquidem deceptores fuissent, subtilissimos longe astutissimosque fuisse oporteret. Quis verò mortalium tam profundæ dissimulationis fraudisque adeò artificiosæ capaces fuisse homines illorum more educatos unquam crediderit? Ad hæc considerandum quoque est, an & quousque istiusmodi homines illudendi dissimulandi que libertatem, in re præsertim Religionis, concedant? Constat enim, adhiberi a Pontificiis fraudes suas haudquaquam potuisse, nisi illas mox quoque defenderent, & quam aptè admodum miseræ conveniat plebeculæ peregrinas de sanctis fabellas commemorare, hoc scilicet fine, ut major ea ratione devotio apud illam excitetur, monstrarent. Et hæc quoque causa est, quod iidem Romanenses affirmant, parum referre,

D

veræ

veræ ne sint an falsæ istiusmodi nar-
rationes? Imo licentiam quoque æqui-
vocationum, reservationumque menta-
lium, itemque talia patrandi libertatem
faciunt, quæ tametsi in se non excusan-
dæ, licita tamen sint, quia fiant pro ho-
nore iEcclesiæ & religionis. Itaque li-
bere fateor, si ullam artium istarum spe-
ciem in doctrinâ aut praxi Apostolo-
rum deprehenderem, justissimam inde
de illorum doctrina suspicandi causam
me ipsum arrepturum. Si enim pro-
licitis haberent *equivocationes, menta-
lesve*, quas vocant, *reservations*, quis
quæso unquam assequi illorum sensum
posset, quæ ab ipsis proferuntur? Id e-
nim quod necessario adesse debet, si
pro verâ habenda sit propositio; lateret
adhuc in alterius animo, atque ita pro-
fundè, ut penetrare in id haud possem;
facilisque esse posset suspicio, forsan A-
postolos, tantâ cum certitudine resurre-
ctionem

rectionem Christi prædicantes, id ipsum intellexisse de spiritali quadam aut mysticâ resurrectione. Quare si semel saltem mendacii fraudisve in materia religionis adhibitæ convinci possent, omnis merito illorum auctoritas cessaret apud animum meum, neque enim ulli amplius ipsorum verbo adhibere fidem, neque adeò persuadere mihi quidquam de ipsorum infallibilitate possem, imò solâ potius me decipiendi intentione eosdem egisse, jure suspicarer. Primum itaque, in quod apud homines, fidem sibi adhiberi postulantes, inquirendum esse censeo, strictissima accuratissimaque, ut sic loquar, veracitas est. In hac enim si fallant, ipsorum quoque credulorum suspicionibus se ipsos exponent. At verò nullibi majorem claritatem simplicitatemque requiri, nullibi etiam strictius severiusque dissimulationes in RE RELIGIONIS prohiberi,

D 2

nec

nec denique usquam generalia adeo præcepta monitaque de adferenda veritate injungi deprehendimus, quàm in scriptis N. Test. Sed, inquires forsan omnia ista majori ideo arte suscepta sunt, quo eo facilius suspicio evitaretur? Adeo nempe comparata suspicio est, ut qui mari fines suos limitesque constituit, terminum tamen ei ponere haud possit. Quodsi enim suspicioni solum, semotâ omni ratione, indulgere homines velint, nullus suspicandi finis unquam fuerit. Nam & efficacissimæ quælibet optimæque eandem præveniendi rationes, novam ita suspicandi semper occasionem suppeditabunt. Unde nulla amplius via, nullus modus superest, quo istiusmodi satisfiat hominibus, qui præstitis licet ad declarandam aliorum sinceritatem omnibus requisitis, fidem tamen adhibere nolunt, quin potius latere eò profundius non nihil fraudis suspicantur. Non curandus iste ullo ratio-

tio-

tionabili medio morbus, sed desperatus planè est, & talis, cui tollendo nihil ultra remedii excogitari queat. Sane vir prudens non nisi juxta ipsam rerum rationem judicium de illis feret. Ac si quis eandem semper atque universalem suspicionem fervet, etiam cum maxima sinceritatis *κρίσις* ab aliis exhibentur, quod fallere nullatenus velint; tùm frustrà profectò erit, qui satisfacere istiusmodi homini voluerit, quin potius quò magis confirmare fidem suam intendet, eò magis alter in suspicionem suâ confirmabitur. Quod si ergò Apostoli ea sinceritatis fundamenta testimoniaque pro se habuerunt edideruntque, qualia ullus unquam mortalium prodidit aut prodere potuit, ex quibus colligi facile posset, illos omni planè alios decipiendi intentione carere, si clarissimè apertissimeque sinceritatis suæ evidentiam demonstrarunt,

tum nulla utiqve ratio apparet, ob quam injusta illa imposturæ aliosve decipiendi libidinis imputatione onerari queant aut debeant.

2. Atque hoc luculentius adhuc patefcet, ubi materias ab ipsis traditas doctrinæque eorum naturam consideraverimus. Equidem si Religio Christiana nihil aliud fuisset quam figmentum primorum ejus præconum, ex eventu utique concludendum foret, illos astutissimos mortalium fuisse, quippe qui tam exiguo temporis spatio adversum Judæorum Gentiumque violentiam impetumque prævaluerint.

Verùm si naturam doctrinæ, quam prædicabant, intueamur, nemo certe vel fingere cogitatione poterit, eo istos homines modo processisse, quo astuti solent ac subdoli. Etenim si proprio ipsorum cerebello conficta fuisset, tum in potestate utiqve illorum erat formare do-

doctrinam pro libitu, talemque prædicare, quæ ad obtinendum finem visa fuisset aptior, eaque sine dubio ratione id omne fecissent, quæ majori gavifura successu videretur; atqui aliena prorsus a tali methodo fuit Christiana Religio, ut primi ejus Doctores summa qua poterant industria, eam potius Religionem prædicare promovereque studuerint, tametsi genio atque inclinationi hominum planè repugnantem.

Neque enim illa voluptuosorum suadet libidines, nec ambitiosorum pompam, quam *φαντασίαν* potius vocat, nec denique avarorum *φιλαργυρίαν* approbat; quin potius severissimè impotentibus istos mortalium affectus prohibet, frænumque illis injicit; quod quidem egregiè neglexit sectæ suæ auctor Muhammedes. Christianismus vero neque Judæorum neque Gentilium temperamento geniove se accommodavit.

Judæi enim sub illius initia Mundanum Principem, qui a Romana servitute illos liberaret, vehementer expectabant, ut, quicumque talem se Messiam jactaret, satis asseclarum confestim inveniret, quod Barchobabi aliorumque exemplis abunde comprobatur. At vero Christianorum ille Messias adeo spei expectationique illorum adversabatur, Princeps quippe pauper afflictusque, ut hoc ipsum esset, quod illos commovit, ut ipsius discipulis omni conatu nisuque se opponerent, frustraneã quippe hac ratione fore omnẽ spem suam ac desideria facile advertentes. Quin &, si voluissent Christiani Mosaicam ceremoniam admittere legem, forsan majorem successum habituri fuissent: sed neque de hisce rebus audire quicquam voluit S. Paulus.

Itaque, inquires, si Judæos ita prorsus rejecerunt, forsan consultum fuisset
gen-

gentilium assistentiam opemque implorare? Imò neque istos quidem respexerunt, quin potius Idololatriæ reos egerunt, ubicunque etiam inter illos prædicarent, nec ullâ in parte ipsorum cultui se conformabant, adeò ut ne de sacrificiorum lipsanis comederent. Si ergo fingamus, ipsos novam ex suo ingenio Sectam excogitare voluisse; considerandum utique & illud esset, ipsos eam modo maximè plausibili formaturos, omniaque haud dubie omisso fuisset, quæ reprehendi infamarique potuissent. Atqui hoc adeò non observatum ipsis fuit, ut potius omnium maxime contemptui expositæ doctrinæ pertinaciter adhæserint, Salvatorem prædicando crucifixum, omnemque vicissim Gentium sapientiam contemnendo. Quid tandem animi his hominibus fuisse existimabimus, si Christianismus proprium ipsorummet inventum fuit?

Certè si vel hanc unam circumstantiam omisissent, nullum planè dubium est, quin tam excellentia Virtutum præcepta omnium illorum applausum fuissent consequutura, qui ex Philosophorum disciplina jam ante nonnihil imbibissent. At noluerunt illi commendatissimâ licet humanæ sapientiæ methodo procedere, neque in Jesuitarum morem, qui apud Sinenses Religioni suæ ab artibus Mathematicis doctrinaque Astronomica auctoritatem conciliant, humani quid prætenderunt: quin potius, ut ostenderent, nihil in ea humani inventi esse, abs omni penitus ratione abstinebant, ex quâ colligi nonnihil potuisset, quod ab ipsis dependeret. Imò cum eo deventum jam esset, ut divinum illis cultum populus deferret; nemò certè vanorum hominum anniti eò tam operosè unquam potuisset, ut honores istiusmodi

con-

consequeretur quàm hi quidem, ut repellerent eosdem & contemnerent. Quæso ergò TE, an vel levissimam hæc habeant speciem actionum ab hominibus istiusmodi profectarum, quorum scopus fuerit, ut novæ cujusdam Sectæ fierent Antesignani, sibiqve auctoritatem conciliarent?

3. Porro, quibus constitutum aliquandò erat vana religione mundum decipere, illi, quum necessarium aliquid de auctore Religionis suæ memorandum putarent, Historiam fanè ea temporis distantia contigisse commentiebantur, ut ad minimum negari non possit; quod in gentilium Mythologicis obtinuisse constat. Tales enim erant illorum historiæ, quarum refutationem nemo mortalium poterat prætere, nisi ex eo capite, quod cum communibus religionis principiis consistere non possint. Christianismus vero, si frau-
dibus

dibus ortum debere suum fingatur, quis adeò insensatos crediderit futuros Apostolos, ut potissimam religionis suæ demonstrationem ab illo peterent, quod nuperrimè contigerat, & in cuius circumstantias inquiri à quovis facile poterat, *resurrectione nimirum Christi à mortuis.* Ex universo enim Novo Testamento patet, principale Christianismi momentum ex hujus veritate dependere: Christum quoque in antecessum ad illam provocasse, Apostolos denique ad eandem tanquam summam suæ religionis confirmationem respexisse, eamque memorare velut ipsis *αὐτοπίας* factam: quippe qui cum DOMINO à mortuis suscitato integris XL. diebus conversati, ex luculentissima ipsiusmet demonstratione acceperint, *corpus, quod è sepulcro extulerit, verum ac reale esse.* Atque illi quidem non duo saltem creduli homines, sed plures numero, quibusque fatis

fatis fieri difficillime poterat, uni imprimis ex illis non sine sensibili, ut sic loquar, evidentiâ. Quin imò Apostolus 500. discipulos unâ fuisse commemorat, qui DOMINUM viderint, ex quibus plurimi suâ adhuc tempestate vixerint. Jam quæ ulla ex tot universi orbis religionibus luculento adeò examini se ipsam unquam exposuit? aut quæ rem ullam facti tam luculentis testimoniis confirmavit? Cur non & Amida, aut Brachma, aut Xaca, aut alii religionis, quæ nunc apud Indos Orientales obtinet, autores; cur non & Orpheus Numave aut alii, qui religiosas Romanos inter Græcosque consuetudines introduxerunt; cur denique non etiam Mahomet inter Arabes cæterique veritatem suæ religionis tam facili omnium examini submiserunt? Si dicatur, Christum saltem amicis suis comparuisse, qui facile crediderint ista omnia, inimicis

cis non item. Ad id respondeo; illos certè, tametsi amicos, difficillimè persuaderi primùm de hac veritate potuisse, & suæ postea fidei ampliora longe testimonia edidisse, quam inimicissimorum esse poterant; horum enim forte non nisi verba nuda habuissimus, siquidem ista dedissent, de quo dubium omnino est, considerantibus, quam indigne cum reliquis CHRISTI miraculis egerint, Apostoli vero re ipsa sinceritatem suam, atque ita quidem, ut ab ullo homine requiri poterat, demonstrarunt, ad illos quippe, quos maxime omnium lis ista concernebat, & qui ipsi quoque necem Salvatoris mortemque promoverant, provocantes, testatique summam, dirissima quæque patiendi potius, quam ejus veritatem negandi promptitudinem, ipsam denique vitam ad illam confirmandam deponentes. Ista vero omnia si non nisi fabulosa fuissent, quis
un-

unquam mortalium credat, è tanto hominum, qualis jam tum erat, cœtu, ne unum quidem, spe metuve promissisque aut comminationibus persuaderi se passurum fuisse, ut illorum veritatem abnegaret? Aut si quid horum fuisset, quantopere gloriati fuissent Judæi? quantosque mox triumphos (de Christianis) egissent? neque dubium est, quin ipsius nomen à Judæis Gentiumque Scriptoribus, professis quippe Christianorum hostibus, posteritati fuisset traditum. Atqui ad miraculum pene omnes de hoc silent, & adeo nihil quicquam (quod tu quidem objectare videris) ad subvertendam Christianæ religionis veritatem afferant, ut ego vel hoc ipso in credenda firmitus ea magis magisque confirmer, quoties pertinacissimorum etiam hostium objectiones sub examen revoco.

Quando autem videris opponere, re-
rum

rū, quæ Christū concernunt, Historiam longo tempore post ejus in mundo prætentam existentiam, demū inventā fuisse; cur non etiam suspicaris Julium Cæsare ante Romulum vixisse, aut Augustum tempore obsessæ Trojæ? Pariter enim secundum adducta abs te fundamenta omnem prorsus Historiam rejicere facile potes, aut veram æque suspicari Mahumedis Chronologiam, quam quæ est Bibliorum. Quin movere hac ratione hanc quoque quæstionem posse videris; Annon Lucretia fuerit Joannes Papa? aut Alexander Sextus Romanorum Imperatorum aliquis? aut annon Lutherus fuerit Turcarum Imperator? Neque enim ullius Historiæ major evidentia est, quam hujus, quæ in Novo Testamento memoratur, quod eo nempe tempore contigerit, quo contigisse prætenditur.

4. Quapropter hanc, quam profiteremur, Historiam Novi Testamenti offeri.

ferimus comparandam conferendam-
que cum omnibus ejus ætatis circum-
stantiis, atque secundum illas examinan-
dam, an ullo modo cum illis non con-
veniat? Hic enim rationabilis quam
maximè modus est, Historiam quam-
cunque refellendi. Quod si enim pro-
bari possit, nullam ejusmodi taxatio-
nem Imperii fuisse, qualis tempore Au-
gusti suscepta esse memoratur, aut Hero-
dem eâ ætate non vixisse, vel Judæos
Romanorum Imperio subjectos. haud
fuisse, aut summis sacerdotibus tum
temporis caruisse, neque sectas Phari-
sæorum Sadducæorumque inter illos
floruisse, aut denique notabiles ullos
characteres temporis in N. T. adsigna-
tos esse, quorum veritas liquido convel-
li possit ac refutari: tum quidem non-
nulla species prætextusve suppeteret vo-
candi in dubium Historiæ illius certitu-
dinem. Atqui horum nec levissimum

E

qvi-

quidem fundamentum, ex quo enasci
 scrupulus forsan queat, in illa depre-
 henditur. Nam & cum illis omnia
 conveniunt, quæ Josephus & Scriptores
 Historiæ Romanæ illius ætatis prodide-
 runt. Equidem Josephi de Christo te-
 stimonium urgere nunc animus non
 est: id tamen ausingerere, quod si illi
 qui de ejus *γνησιότητι* dubitant, pari rigore
 cum aliis aliorum, probatissimorum li-
 cet Autorum, locis agerent, tum istos
 quoque vocari in dubium facile posse:
 quandoquidem in confesso est, & nega-
 ri à nemine potest, illud in omnibus an-
 tiquis MSS. deprehendi. Quid enim
 si supponamus illa verba non bene co-
 hæerere? ideone vero habendum pro
 impossibili, ut Josephus aliquando NON
 COHÆRENTER scriberet! Atque hoc tamē
 potissimum illorum Argumentum est,
 qui istud testimonium putant esse hypo-
 bolimæum. Quanquam verò, ut di-
 xi, illo

xi, illo opus non habeamus, cum omnia reliqua in tam excellenti gradu conveniant ad probandam Historiæ Christi veritatem; quia tamen de ea tantopere dubitas, & fictum forsan tale quidpiam fuisse eâ suspicaris ætate, quâ nemo convellere illud potuerit, ideò monstrandum nunc mihi erit, neminem unquam mortalium de tali suppositione cogitasse, absurdissimamque adeo hanc suspicionem esse. Primo enim manifestissima habemus testimonia summorum Christianæ Religionis inimicorum, quibus liquido confirmatur, fuisse aliquando inter mortales Christum quendam eumque passum secundum scripturæ historiam. Nam & Tacitus Annal. XV. non de Christianis saltem memorat, quod Romæ Neronis tempore pro suâ religione passi fuerint, sed & Christum quendam Auctorem illius fuisse dicit, passum sub Pontio Pilato,

Procuratore Judææ sub regno Tiberii. Quod sanè irrefragabile pro Historia CHRISTI testimonium est, eâ quippe ætate editum, quâ, si quidem ficta illa fuisset, nihil facilius erat detectu, inprimis quum tot Judæi Romæ perpetuo habitarent. Unde neque Julianus, neque Celsus, neque Porphyrius, nec Lucianus *veritatem Historiæ ipsius* vocarunt in dubium, id solum objectantes Christianis, quod nimium Christo suo tribuerent. 2. Quod si ergò revera talis homo extitit, qualis fuit CHRISTUS, sub Pilato, ut Tacitus refert, passus, tum integra utiqve Historia figmentum esse non potuit, sed pars forte quædam humanæ fictioni originem debet suam. Illa autem vel Apostolis adscribenda est, aut post illorum tempora contigit, non posterius, ex hoc enim sequeretur addita istiusmodi figmenta demum fuisse, postquam Christiana religio recepta

pta

pta jam in orbe erat, sparsa quippe jam Apostolorum tempore & Romam usque propagata: atque adeo si illa sequiori tempore addita, cum eadem recepta non fuissent, tum detegi dubio procul æque facile potuissent, atque recipi ab illis, qui Christianismo jam ante nomen dederant. Quid quod Tertullianus ipse sua adhuc ætate ad authentica Apostolorum scripta provocat, quibus eadem continebantur, quæ nunc credimus? Itaque si quod horum fictum fuit, ab Apostolis factum esse oportet.

Ego vero jure meritoque abs Te postulo, num ulla unquam alia Historia, si vera non fuisset, convelli facilius potuisset, atque hæc quidem nostra, publicata quippe eo tempore & loco, quo vivebant illi, quorum maxime intererat, ejus convellere veritatem; id quod apparet ex Judæorum adversus Christia-

nos odio, quod sane egregiam pro veritate religionis Christianæ adferenda circumstantiam suppeditat. In eo enim Judæi conveniebant cum Christianis, quod utraqve pars Veteris Testamenti revelationes agnoscerent; Christiani autem amplius aliquid credebant, Christum nempe promissum Messiam esse. Atque hic Christus vixit non saltem, sed & mortuus est inter Judæos inimicos; ejus etiam Apostoli patrarunt miracula apud inveteratos pertinacissimosque hostes, quod impostores tacere haud solent; quin & in hunc usque diem Judæi materias facti nequam negant, sed pro non sufficientibus illas saltem habent, quibus JESUM Nazarenum Messiam fuisse probari queat. Imo Muhamedes ipse, qui universam utiqve N. T. historiam ivisset subversum, si ullo sub prætextu licuisset, reve-

ren-

reter admodum de CHRISTO rebus-
que ab ipso patris memoratisque lo-
quitur.

3. Nihil est in Christiana religione,
quod aut majestati, aut sanctitati verita-
tive divinæ revelationis repugnet. Et
quidem quod ad *præcepta* attinet, ipse
illorum excellentiam agnoscis: pro-
missiones autem principaliter respici-
unt vel gratiam divinam, vel futuram
gloriam. Quid verò hic DEO inde-
cens? veritatem quod concernit, ejus
fane tam illustres nobis Characteres sup-
petunt, quales expectari unquam pos-
sunt, cum tantum in illa candoris, sim-
plicitatisque ac harmoniæ ubique occur-
rat. Equidem magis illa forsitan non-
nullis placuissent, si ab uno omnia Au-
tore exarata, digestaque exactiore me-
thodo, & sermonis quoque ornatu am-
pliore exculta prodiissent. Verum hu-

mano quidem id invento conveniebāt, magis quam divinæ revelationi. Et quum naturā veluti simplicitas artem subtilitatemque superet, exinde factum est, ut DEUS varios eligeret, quorum in scribendo operā uteretur, ex quorum comparatione manifestum nobis fieret, quam longissime illa à fraudibus abfuerint, simulque quam exacte in omnibus conspirent, quæ creditu necessaria hominibus proponantur.

Sed inquires, multa in scriptis istis deliquia Apostolorum infirmitatesque describi, quales fuerint ipsorummet inter se similitates & paroxysmi, quos Scriptura vocat.

At considerari abs Te velim, i. unde tibi consent hæc talia? nonne ex ipsorummet scriptis? Quod si ergò suam imprimis gloriam applausumque populi pro scopo habuissent, facile utique
ipsis

ipsis fuisset occultare ista, & certo quīdem celassent. Porro, quando gloriari videtur de se Paulus, nonne contravoluntatem id se atqve ex necessitate facere protestatur, quo se ab maledicentissimorum hostium injuriis calumniisque vindicet? Et quis unquam verba pro se facere generosæ menti prohibuit? Supponamus autem 2. infirmitatibus & similitate mutua nec illos caruisse, inde ne verò probabitur, DEUM illis tanquam instrumentis declarandæ coram universo orbe veritati suæ destinatis uti non potuisse? Hoc enim si sequi hinc existimas, tum voluntatem suam revelare DEUS per homines nunquam poterit, sed aut Angelis, aut Humanæ naturæ à Divina assumptione opus erit. Vicissim si DEO libertatem tribuamus, quâ Hominum in hac parte ministerio uti possit, nullibi certè tantam reperiemus evidentiam pietatis ac zeli,

E 5

tatis

tatis item & abnegationis sui ipsius, patientiæ denique ac magnanimitatis, aut innocentia & adversum omnes impensa charitatis, quam quidem in Apostolis deprehendimus, propriis nimirum characteribus cœlestium Legatorum ea-propter instructis. Adeò ut committere illos cum optimis quibusque Philosophorum virtutibus excellentissimis illustrium audeam, tametsi ingens utrorumque educationis differentia sit, modo eandem Historiæ Novi Testamenti adhibeamus fidem, quam Xenophonti, Diogenive Laertio, aut alii illorum Panegyristæ non derogamus.

Duo verò sunt, quæ adversum Novi Testamenti scripta objicis, tanquam cum divina Sapiencia non consistentia. Primum est, Defectus virtutis patrandi miracula, quæ tamen promissa in illis fuerit, Marc. XVI. 17. Secundum verò

rò

ro, Numerus bestiaë, cujus in Apocalypsi fiat mentio.

At perpende quæso, quam indignum sit bono viro, suspectam reddere divinam revelationem, ob tales, quales Tu quidem proponis, objectiones? Nullane ergo revelatio erit, nisi quamcunque prophetiam, aut cujuscunque prophetiaë ambitum intelligas? Noli quæso in propriam animam ita esse injurius, ut moveri Te levissimis objectiunculis ad negligendam Christianaë religionis certitudinem patiari, & peccatorum adeo remissionem, quam illa post pœnitentiam promittit, æternam denique beatitudinem abs Te frivole repellas? Quis universa Platonis scripta rejiciat, quia forsan nonnullas in Timæo ejus particulas æqve non intelligit quàm numerum 666? Itaque delicatam admodum fidem Tuam esse oportet, quæ nullam prorsus difficultatem tolerare velit: ita
ut,

ut, ubicunqve duo saltem occurrant difficiliora, quæ digerere haud possis, omnem plane cibum, quo usus jam eras, ejicias iterum, fameqve adeo non corpus saltem eneces, sed & animam perdas. Verum de locis modò allegatis, postea.

3. Remotis ita suspicionum fundamentis, progrediendum nunc est ad ostendenda positiva sinceritatis ab Apostolis demonstratæ testimonia, majora longe quam ulli unquam Materie Facti perhibita fuerunt. Supponam autem universam Christianæ doctrinæ veritatem ad hanc inprimis materiam facti reducendam esse, *an Christus à mortuis resurrexerit, nec ne?* In hoc enim potissimum illorum robur, quæ pro ejus veritate dici poterant, constituebant Apostoli, declarabantqve sæpius, se ejus rei testes esse. Jam consideremus, quæ tandem ratione certissima sinceritatis suæ

suæ testimonia edere unus possit alteri. Nempe fieri hoc debet tali testimonio, quæ ab ullo homine expectari potest: aut tali, quod superius humano est, nec decipere potest, h. e. divino.

i. Apostoli tantum fidelitatis suæ testimonium ediderunt, quantum ab hominibus expectari unquam potest. Et enim nulla mihi melior via constat, quàm certus de humano testimonio fieri possim, quam si omnes circumstantias considerem, quæ comitari veritatem solent; tum enim nihil ultra desiderari poterit, si illas concurrere advertam. Cæterum, utut demonstrari Mathematicè non possit, quod à testimonio pendet, fatendum tamen est, vel sufficientia ad assensum veritati gignendum fundamenta reperiri in testimonio, aut nullam omnino differentiam esse inter veritatem falsitatemque respectu humani testimonii: quod ultimum si concedamus,

mus,

mus, actum erit cum humanis processibus judiciisque, quorum iustitia non humanorum solum testimoniorum veracitatem supponit, sed & discerni ab aliis ita potest, ut *TUTO* in illa acquiescere queant. Ea vero quæ habito ad veritatem humani testimonii respectu consideranda veniunt, sunt sequentia, 1. Si homines de nulla alia re testentur, nisi quam *αὐτόπται* inspexerunt. 2. Si res non longe ante istud tempus contigerit, de qua testantur. 3. Si plane simpliciterque testentur, ac citra *ἀμφιβολίας*. 4. Si magnus consentientium quoad idem testimonium numerus sit. 5. Si periculum facere omnium, quæ pretiosa apud homines aestimantur, malint testatores, quam veritatem de qua testantur abnegare.

Quæ omnia ubi simul concurrunt, vix possibilem esse puto majorem veritati *Evidentiam*. At verò singula ista exactif-

actissimè convenire testimonio Apostolorum de resurrectione Christi nunc probabo.

1. Nulli alii rei testimonium perhibuerunt Apostoli, quàm cujus fuerunt: *ἑαυτοῦται.* Jura gentium majorem oculatis testibus fidem adhibendam esse dicunt quàm ullis aliis. Unde in Lege Civili regula est; *Testimonium de auditu regulariter non valet*: quia ut Jurisconsulti & Canonistæ dicunt, testium est de veritate rerum testari, non saltem de illarum possibilitate. Quod enim aliquis vidit, de eo testari potest, an sit, aut non sit? Illud autem de quo solum audivit, indifferenter se habet, tale enim testimonium non de facto est, & pro magis incerto habetur, unde etiam majori probatione indiget. Atqui Apostoli de illis saltem testabantur, quæ & viderunt ipsi & circa quæ versati sunt: & id quidem non sine antecedanea scrupulo-

pulosa admodum in veritatem corporis Christi inquisitione, præviisque pluribus inter ipsosmet dubiis suspitionibusque, ut adeò haudquaquam præcipitanter crediderint, quæ Mundo postea publice declararunt. Quandoquidem ergo corpus sensuum proprie objectum est, accuratius utique meliusque examen ejus esse non poterat, quam Apostolorum illud, neque satisfieri sensibus illorum magis, quam quum digitos vulneribus transfixoque lateri immitterent.

2. Neque etiam excidere memoriâ circumstantias rerum passi sunt, priusquam testimonium de illis ferrent, quin potius cum recentissima earum recordatio adhuc esset, testari cœperunt. Hoc enim nisi fecissent, quæsituri sine dubio fuissent Judæi, cur non ipso, quo hæc talia contigerint, tempore illorum facta esset mentio? Inde est, quod Apostoli paucis admodum post ascensionem

DOMI-

DOMINI diebus publicè audacterqve veritatem horum declararunt: neqve id in privatis amicorum angulis, sed in solemni nationis suæ cum plerisque aliis congressu, atqve importuno adeò planè tempore, si fallendi animo accessissent.

3. Luculenter adeo & clare testati sunt, quantum fieri omnino poterat, ne forsan intelligi non posset ipforum sententia. Hunc JESUM inquirentes, resuscitavit DEUS, cui nos omnes testimonium perhibemus? Quapropter notum sit universæ Domui Israel certo, quod DEUS Eundem JESUM, quem vos cruci affixistis, Dominum Christumqve constituerit. Sanè, qui decipiendi habuissent animum, generaliora omnino & dubia magis verba protulissent.

4. Porro, si unius saltem hominis testimonium esset, de quo loquimur, utiqve in suspicionem merito ejus traheretur veritas, quandoquidem CIVILI

F

JURE

JURE, *vox unius, vox nullius est.* At plurimorum id fuit, non duodecim saltem Apostolorum, sed & 500. una congregatorum, quos inter nonnullos ad minimum fuisse præsumendum merito est, qui imposturam potuissent subodorari ac detegere, si qua unquam locum hac in re habuisset.

5. Quin potius, (quod magnum supra dictis pondus superaddit,) ne unus quidem ex Apostolis, forsan nec e reliquis fuit, qui non extremis se periculis exponeret libentius, quam aut negaret veritatem rei, quam testabantur, aut eam retractaret. Quod si omnem religionis curam illo tempore Judaicus abjecisset populus, tum forsan successum habitura mendacia fuissent, donec tuendis illis auctores apti plane redderentur: verum, cum vix in publicum prodiissent Apostoli, de hisce testaturi, aderant statim qui fortiter se iisdem opposuerunt, & illi

& illi quidem Principes summiqve è
Judæis viri, quibus incumbere omninò
novellæ religionis oppressio videbatur.
Quid quod optio Apostolis dabatur vel
remittendi nuncium assertæ ab se veri-
tati, quod ubi facerent tranquillitatem
non modo sed & præmia nacturi essent:
aut propagandi illam, neqve nisi acerri-
mas gravissimasqve cum illa persecu-
tiones expectandi? Quod posterius eli-
gentes, ubiqve fere obtinuerunt. Quis
vero suis adeo mendaciis indulgere
quæquam arbitrabitur, ut non mo-
do omnia illorum causa amittere
malit, sed & crucem potius suscipe-
re quam illa negare? Quæquam e-
nim proprium ex aliorum illusionem
commodum existimatioqve inde spe-
randa multum nonnunquam valeat:
nemo tamen mortalium mori mallet,
quam ab illa desistere. Atqve nullus
unquam Apostolorum fuit, qui non vi-

tam potius posuisset quam veritatem negasset: unde, uno saltem excepto, omnes martyrium pro eâ sustinuerunt. Quæso te, serio diligenterque ponderes, an tale quidquam ullibi possit deprehendi, quod tanta cum fiducia vitam tot homines pro tali re posuerint, quam ipsi tamen falsam esse eodem tempore cognovissent. Debebant enim hoc novisse, si proprio ingenio commenti omnino fuissent.

II. Quamquam vero in omnibus hisce eo usque progredierentur Apostoli, Christianæque religionis primi Confessores, quo per humana testimonia progressus unquam fieri potest: ulterius tamen non nihil habuerunt, quo veritatem istam confirmarent, divinum nempe testimonium per dona miraculosa Spiritusque S. operationes. Et hoc quidem summum testimonium est, quod exhiberi mundo potest, quo rei veritas con-

confirmetur : cùm præsumi non que-
at , DEUM potentiâ suâ ad decipien-
dos Homines usurum. Atque uti suum
quæque veritas criterium habet , ita di-
vini in primis testimonii illud signum ef-
se videtur , quod concurrentem habeat
potentiam patrandi miracula.

Quando enim supponimus, Deum re-
velare hominibus voluntatem suam vel-
le, jure utique & rationabiliter creden-
dum est, distingventem quandam no-
tam illius esse debere, quod à DEO im-
mediatè est, ab illo, quod hominibus
suam debet originem. Atque quid hu-
mana à divinis accuratiùs distingvat,
quam si illa fieri videamus, quæ nonni-
si à DEO possunt proficisci ?

Video tamen adversum hæc abs te
regeri nonnulla : ad quæ tamen facile
breviterque respondebo.

Et i. quidem dicis , capere te non
posse, quid illud sit, de quo testa-

ri miracula debeant : non doctrinam esse, cum ipse Paulus testetur, *nonnulla abs se dici quæ non sint à Domino.*

Respondeo, miracula testari de veracitate dicentis, & consequenter de veritate Doctrinæ, non ut illa quoque a Domino esse credas, quæ ipse divinæ originis esse negat ; sed illa saltem, quæ talia esse tradit, a Domino procedere. Quando ergo talem distinctionem ipse Apostolus facit, inconvenienter admodum exinde probare conaris, quod nihil plane à Domino habuerit, quin potius candoris illud ingenuique animi argumentum est, quod divinam revelationem prætereundum noluit, quando nullam habuit.

Quod 2. regeris, cum confusæ inter se doctrinæ Scripturarum sint, velle Te significari quænam illa doctrina sit, cui miracula præbuerint testimonium? Ad id vicissim quæro, quo fine ulla seorsim

orsim, aut aliquot saltem doctrinæ notari debuissent, quibus sigilli loco data fuerint miracula, cum illorum munus sit docere declarareq; voluntatem divinam, quam assignant. Cæterum illa, quæ declararunt docueruntq;, ex Scripturis facile constant.

3. Quærenti, *Cur miracula cessarint?* respondeo, quia nemo fit, cui novam doctrinam proponere commissum, neque etiam ulla de illis continuandis promissio in Scripturis extet. Signa enim quæ credentes sequebantur, ad primam saltem Christianæ fidei confirmationem tendebant, eaque obtentâ rursus cessabant. Quapropter quæ-
rere, cur DEUS dona miraculosa hucusque ad priorum confirmationem non continuet? idem est ac rogare: *Cur non novum Solem creet DEUS, ut satisfiat Atheistis veterem ab ipso factum credere nolentibus?*

F 4

4. Sed

4. Sed inqvies, ipsam Scripturam, dicere, miracula non semper pro confirmantibus veritatem doctrinæ alicujus habenda esse, cum & Pseudoprophetæ patrare talia possint, teste Mose in Deut. XIII. 1. Ad quod respondeo; nihil aliud isto loco intendi, quam quod miraculis fides danda non sit contra principia naturalis religionis, aut revelatæ jamq; majoribus miraculis confirmatæ, & quod illi, qui particulare ejusmodi signum universæ miraculorum seriei, quibus ipsorum Religio stabilita est, anteponunt, propriæ meritò deceptioni relinquuntur. Alias enim ipsa Antichristi miracula (qui Homo peccati Apostolo dicitur) seu *τέρατα ψεύδους* miraculis Christi ejusq; Apostolorum opponi possent. Itaq; postquam semel, quidquid ad convincendum hominis animum facere poterat, præstitit DEUS O. M. probare deinceps illius fidem non injuriâ potest,

test, in Patris alicujus morem, qui ostensio, quænam genuina sit moneta, spuriam quoque ejusdem oculis subjici patitur, quo certius experiatur, decipi ne Is adhuc possit, nec ne?

5. Quæres porrò, quid miraculorum testimonium ad scripta N. T. faciat? Respondeo, 1. miracula sufficienter probare auctoritatem ejus doctrinæ, quam tradiderunt illi, qui patrarunt miracula, Christus nempe ejusq; Apostoli. 2. Si vel minima de veritate atq; auctoritate horum Scriptorum dubitandi ratio fuisset, certè eam tanto consensu non recepisset ætas illa, in qua tot hominum intererat inquirere in illorum veritatem. Notum enim est, nonnullos N. T. libros longo tempore sub examen vocatos, & tum demùm postquam sufficiens adversus illos ratio afferri non poterat, receptos ab iisdem Ecclesiis fuisse, quæ ante de illorum fide dubitaverant. Unde

tantum abest, ut dubitationem Veteris Ecclesiæ de uno alterove libro ejusdem Autoritati derogare existimem, ut potius credam certusq; hoc ipso argumento reddar, illos haud facile librum aliquem recepisse, tametsi sub Apostolici scripti nomine venerit: quemadmodum in fide de Christi Salvatoris resurrectione confirmor ideò, quod è Discipulis nonnulli primum de illa plane dubitarunt.

6. At quid hæc, inqvies ad scripta Veteris Testamenti, quæ longiori temporis intervallo à nostrâ ætate, seculisq; adeò rüdiioribus fuerunt exarata? Respondeo: Non evidentiùs probari posse Veteris Testamenti auctoritatem, quam probata Novi τῆ γνησιότητι. Quod si enim hujus asserta veritas est, tum & de illo satis constabit, quippe quod tam clarè tamqve evidenter ab hoc confirmatum est, Salvatore ejusque Apostolis quavis occasio-

occasione ad Mosen & Prophetas appellantibus. Adeò ut eadem miracula quibus testimonii ipsorum veritas probatur, divinam simul Auctoritatem veteris Instrumenti confirmant, quandoquidem expressis in novo verbis asseritur, sanctos DEI homines protulisse oracula motos actosque a Spiritu Sancto.

Enim verò, quomodocunque se ista demum habeant, talia, inquires, in hisce scriptis deprehendi, quorum origo adscribi DEO non posse videtur, qualia sunt I. contradictiones in iis occurrentes, ut & II quædam, quæ cum sapientia DEI consistere haud possunt. III. Promissiones datæ, sed non impletæ. Res IV. obscuræ adeò atque intricatæ, quæ quid sint nemo mortalium poterit definire. Ad quæ ipsa quatuor capita reduci ea omnia posse existimo, quæ contra Scripturas allata abs TE fuerunt.

Et

Et I. quidem ad contradictiones quod attinet, Prophetiam allegat Gen. XV. 13. 14. 15. 16. de Abrahami posteris, collatam cum ejusdem complemento, Exod. XII. 40. 41. memorato: potissimumque argumentationis tuæ robur in hoc consistit, quod vaticinium in Genesi recitatum servitatem Israëli-tarum quadringentos Annos duraturam dicat, memoratis in Exodi l. c. Annis quadringentis & triginta; quæ duo te-stimonia variis Scripturæ locis repu-gnent, quippe Israelitas non ultra du-centos & quindecim Annos in Æ-gypto habitasse docentibus, aut ad summum quoad numerum generatio-num non ultra Annos trecentos & quinquaginta. Ad quod ipsum, cui tantum ponderis inesse existimas, di-stinctè respondendum est.

i. Supponamus ex propria confes-sione Tua, Annos istos quadringentos & tri-

& triginta incipere a foedere cum Abrahamo inito, & complementū illorū, cuius Ex. XII. 40. mentio fit, incidet exactè in tempus Educationis Israelitarum ex Ægypto. Ipse enim probasti e Scriptura, quod à foedere isto usque ad Jacobi in Ægyptum adventum, computari ducenti & quindecim Anni debeant: addito hoc, quod Cahath annum egerit quintum (ex concessio) cum Ægyptum ingrederetur, Anno septuagesimo genuerit Amramum, elapsis autem septuaginta annis Amramus ex Mose factus fuerit Pater, quibus additi octoginta Anni Mosi reliquos ducentos & quindecim Annos conficiunt; quo ipse plenarium numerum, memoratos nempe quadringentos & triginta Annos tuomet computo habebimus. Quæso ergo TE, Domine, quæ causa sit quod Contradictionis incuses Scriptorem

ptorem in re, quam Tuo quoque com-
puto conciliari, negari haud potes?

2. Dices: Non convenire hanc conci-
liationem cum Textu, ex quo concludi
possit, Annos istos quadringentos expi-
rare in servitute Ægyptiaca. Respondeo
huic dubio ut satisfiat considerata ver-
borum Emphasis tum in Genesi tum in
Exodo. Hanc ergo, si evolvamus,
nullam Ægypti mentionem fieri in Ge-
nesi manifestum est. In genere enim
dicitur, *semen Tuum erit peregrinum in
terra quæ ipsorum non est, servietque
ejus (incolis) qui illos affligent Annis qua-
dringentis.*

Multum autem faciet ad eruendum
vaticinii hujus genuinum sensum con-
sideratio scopi, qui non erat narrare A-
brahamo quam diu ipsius posteris servi-
turi aliquando Ægyptiis sint, sed quan-
tum temporis spatium intercedere de-
beat, priusquam ipsius semen in pos-
fessio-

sessionem terræ promissæ deveniret: Videturque Abrahamus quæstione, quam Gen. XV. 7. 8. proposuit, expectasse terræ hujus hæreditatem suomet tempore; ad quam DEUS O. M. respondet, promissionem hanc non ad ipsum sed posteros ejus pertinere, & ne in his quidem eam completum ante iri, quam ultimum nequitiae gradum attigissent Amoræi, id quod in quarta demum generatione futurum sit, ac tum demum semen ipsius, exactis quadringentis Annis terræ promissæ possessionem adgressuros; interea verò exules fore in terrâ peregrina, multisque cum difficultatibus calamitatibusque conflictaturos.

Hic proprie scopus Vaticinii est, quo attento omnis objectionibus, etiam in speciem urgentibus, difficultas adimitur. Nam & ipsa terra Canaan, non obstante promissione, ab ipsismet Patriar-

triar-

triarchis tanquam peregrina respiciebatur. Ita enim Abrahamus, Gen. XXIII. 4. *Peregrinus sum, inquit, atque Exul inter vos; & quod majori dignum est observatione: in Benedictione Jacobo ab Isaaco data, dicitur; Det tibi benedictionem Abrahami seminique Tuo, ut hereditate acquiras terram in qua peregrinus es, quam DEUS dedit Abrahamo, Gen. XXVIII. 4. ubi idem de Jacobo verbum usurpatur, quod in vaticinio supra allegato Gen. XV. 13. deprehendimus. Unde patet, Patriarchas semetipfos pro peregrinis in terra Cananæa habuisse, etiam longo post factam promissionem tempore, multiplicatoque jam Abrahami femine; quæ causa erat, quod regio Cananæa Terra peregrinationum appellaretur Gen. XXXVI. 7. XXXVII. 1. Quid? quod etiam tum, cum Gentem Israëliitarum ex Ægypto vocaret DEUS, terra ista nihilominus*

ominus idem nomen obtineret, Ex. VI. 4. itemq; Ps. CV. 9. 10. 11. 12. 13. ubi plena promissionis Abrahamo, Isaaco & Jacobo factæ enumeratio habetur, hæreditatem terræ hujus concernens, ubi sic ait Psaltes : *Pauci erant & peregrini in terra ista, euntes de natione ad aliam, de regno ad alium populum.* Quæ verba sensum vaticinii è Genesi allegati planum faciunt, quod scilicet non restringi possit ad servitutem, quam gens Hebræa in Ægypto sustinuit, sed debeat intelligi de statu peregrinationis quadringentis annis durante, in quo multæ ipsis difficultates superandæ prius erant, quam in possessionem regionis Chananææ intromitterentur.

Neque hæc coacta verborum istorum expositio est, (quod tu quidem putas,) sed plana omnino, si quid judico, & facilis, modo ad scopum illorum attendamus, qui erat, indicare Abraha-

G

mo,

mo, quantum temporis intercessurum
ante prædictionis istius complemen-
tum, & quo in statu ipsius interea, semen
futurum sit, nimirum, defuturam ejus
posteris terram, quam propriam suæque
habitationi destinata vocare possint,
multisque expositis iri calamitatibus
ipsique servituti; sed punitos demum
graviter illos iri, qui Abrahamitas affli-
xerint, hos vero è captivitate multis cum
opibus educendos: id quod omne fu-
turum sit post quartam Amoræorum
generationem, mensuraque peccato-
rum apud hos impleta. Quæ sane o-
mnia & singula, intercedente licet tanto
temporis institio, exactè adeò completa
fuerunt, ut hæc ipsa prophetia sufficere
possit ad convincendum hominis ani-
mum, eam à divina inspiratione profe-
ctam esse. Neque enim ulpianam apud
profanos Historiæ Scriptores quid-
quam tale deprehendes, unde vaticinium
qua-

quadringentis retro annis probatum, iisdemque deinceps cum circumstantiis adimpletum esse constet, tametsi eo ne conjectando quidem pertingere humana ratio potuerit. Liberatio enim populi Israëlitici ex Ægyptiaca captivitate humana specie erat impossibilis eo comprimis tempore, quo dejecti jam erant gentis animi, omnisque eluctandi è tam dira servitute spes adempta; nihilominus tamen non modus saltem educationis prænunciabatur; sed & complementum in diem à vaticinio definitum incidebat, uti constat ex Exod. XII. 41. ubi sic legas: Factumque est finitis quadringentis & triginta annis eodem (qui definitus erat) die, ut egrederetur universus Domini exercitus è terra Ægypti.

Objicis peregrinationem, de qua sermo est, dici de filiis Israëlis per quadringentos & triginta annos in Ægypto exituris,

tituris, at hoc nullo modo cum re ipsa
 convenire; cum ad complendum nu-
 merum istum Abrahami quoque, Isaaci
 & Jacobi ætas computari sub illo debe-
 at, qui tamen vocari non possint filii
 Israel. Respondeo: de quadringentis
 & triginta annis fateor illos D. Paulum
 initium sumsisse à foedere cum Abraha-
 mo inito, Gal. III. 17. Annos autem
 quadringentos incepisse eo tempore
 quum Isaacus pro femine promisso de-
 clararetur, inter quæ duo temporis in-
 terstitia triginta intercesserunt anni. I-
 mo omnis difficultatis species facile evi-
 tabitur, si admittamus Lectionem opti-
 morum codicum Γων LXX. quæ sic ha-
 bet: Ἡ δὲ παροίκησις Γων υἱῶν Ἰσραὴλ, ἦν πα-
 ρώχουσαν ἐν γῆ Αἰγύπτου καὶ ἐν γῆ Χαναάν ἀν-
 τὸι καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν ἔτη τετρακόσια τριάκοντα.
 Et hæc lectio est Exemplaris nostri A-
 lexandrini, itemque Complutensis, &
 Edi-

Quis & qualis Alexandrinus sit alibi dicitur. Sæpe ipsum
 interpres evolvi Henrici Iustelli indulgentia in Bibliotheca
 Regis Angliæ ad S. Jacobi in Wyest. Monasterio.

Editionis Aldinæ. Servat eam qq. Eusebius in Chronico & in ejusdem translatione S. Hieronymus; consensit Ecclesia tempore Augustini, & postea. Et ne quis eam veluti recentioris ævi interpolacionem aut glossam textui male intrusam rejiciat, præter allegata pro antiquitate hujus lectionis testimonia consentit quoque exemplar Samaritanum, de quo ipsi ejus hostes fatentur, illud ætatem Servatoris nostri attingere. Facit denique ad firmandam hujus lectionis veritatem, quod etiam Judæi, utut pro Hebræo codice ejusque auctoritate cum maxime solliciti, uno ore confitentur, computum annorum quadringentorum & triginta ante ingressum Israelitarum in Ægyptum iniri debere. Hinc & Menasse Ben Israel juxta cum plurimis aliis contendit, annos istos quadringentos & triginta incepisse à promissione Abramo facta, annos autem quadringentos & triginta incepisse à promissione



dringentos (demtis istis triginta) à tem-
 pore Isaaci, cum qua sententia vetustif-
 sima Judæorum consentiunt Chronica,
 eamque suis roborant suffragiis Philo:
 Judæus & Josephus, quorum hic tamen
 si uno in loco Israelitarum afflictionem
 ad quadringentos annos reducere videa-
 tur, alibi tamen & ex professo quidem
 de ea scripturus, peregrinationis in Æ-
 gypto tempus ad ducentos & quindecim
 saltem annos restringit, annos au-
 tem quadringentos & triginta ab in-
 gressu Abrahami in regionem Chana-
 næ in incepisse adfirmat. Thargum
 Jonathanis quadringentos & triginta an-
 nos orditur à visione Abrami: qua-
 dringentos autem à nativitate Isaaci:
 quæ omnia eo fine adducuntur, ut vide-
 as, ipsosmet Judæos quoad sensum con-
 venire cum exemplari Samaritano Græ-
 coque. Ut adeò, si quid suspicandum
 sit, omissum potius aliqd in textu E-
 bræo,



bræo, quam in allegatis Exemplaribus additum fuisse videatur.

Dices vero, hæc ipsa auctoritati Scripturæ derogare. Respondeo, haudquamquam id sequi: quandoquidem de Lectione solum quæstio heic est. Itaque ubi habetur consensus codicum Samaritani, Alexandrini, aliorumque $\gamma\omega\nu$ LXX. Exemplarium quin & Judæorum qq. quoad sensum, ibi de veriori lectione certi esse possumus. Et id quidem non haberi debet pro additione quadam ad Scripturas facta, & sive personas sive loca concernente; sed *authenticæ solum Exemplaris pruduçtio est.* Neque id pro lubitu nostro fit. Alias enim si absq; illis, quales produximus, auctoritatibus proponeretur, rejici merito ea facilitate possit, qua producebatur.

Ad hæc, non video, quæ ratio sit, cur contradictionis incusetur Scriptura, tamen si supponamus Annos istos qua-

dringentos in servitute Israëlitarum Ægyptiaca exactos fuisse. Fateor certe, me, quum Scripturam tot contradictionibus tamque audacter onerari cerne-rem, aliquid demōstrationi simile hoc in casu expectasse, in primis eo in loco, quē quasi primum in acie locasti; at nihil prorsus cerno, quod contradictionem probare vel in speciem possit, tametsi, ut dixi, annos quadringentos in Ægypto exactos supponamus.

Quamquam enim regeras, Cahathum quinque annos natum fuisse, quum in Ægyptum descenderet, & postquam vixisset annos sexaginta sex, Amramum, hunc vero anno ætatis septuagesimo genuisse Mosem, quibus si addantur Anni Mosi octoginta, nonnisi ducenti & quindecim anni emergant; hoc inquam tametsi regeras, parum tamen proficis. Cum enim Scriptura nusquam ætatem istorum hominum in specie defi-

definiat, aut quo præcise tempore liberos genuerint, nihil plane repugnare video isti opinioni, quæ asserit, octoginta annos inter introitum Levi in Ægyptum & octogesimū Mosis intercessisse, quemadmodum non repugnat veritati interstitium temporis à Salmæ introitu in Chananæam usq; ad tempora Davidis, neque enim plures memorantur in Scriptura, quam Boaz filius Salmon è Rahab, & Obed & Jesse. Adeo ut eodem modo, quo posterior hic computus explicatur, etiam prior possit explicari, si nempe dicatur, quod vel generarent liberos in ætate provectiore, vel quod Scriptura in Genealogiis non omnes successive Parentes enumeret, sed eminentiores saltem, quemadmodum Caleb vocatur filius Efron, 1. Chron. II. 7. 18. tametsi medius inter illos ad minimum unus fuerit. Quæ responsio hanc quoque partem Scripturæ

Chronologicam à specie conditionis facile liberabit. Et hæc quidem prolixius deducta reperire poteris apud illos, qui Chronologiam Scripturæ explicare aggressi sunt, qui sane majori longe iudicio pollebant, quam ut ex istiusmodi difficultate sacrarum literarum auctoritatem vocarent in dubium. Tametsi enim opiniones Chronologorum diversis in eadem civitate horologiis non sint absimiles, quæ omnia, tametsi raro quidem convenient, nonnulla tamen accuratius temporum indicant differentias, ita illæ evolendæ prius examinandæque erant, quam adeo præceps sententiam de Scripturæ cōtradictionibus ferres. Neque illa ferenda erat, nisi tum, quum nulla usquam ratio apparuisset, eandem ab istiusmodi culpa liberandi. Quod dum observatum abs TE non fuit, solem accusasti, quod horologia omnia ad harmoniam reducere non potuisti.

Et

Et hoc quidem omne erat, quod sub titulo contradictionum in schedis Tuis occurrebat. Quod dum expensum à me nunc est, considerandum tibi serio propono, iustamne ex hoc loco causam habueris gravandi hoc onere sacras literas. Si regeras, complura alia Tibi superesse, hoc unum vero proposuisse, ut vires meas ingeniumque experiare, hæc tria prius expendas rogo.

I. Quam facile contingat, ut contradictoria appareant animis eruditione non imbutis, aut præiudicio laborantibus, quæ tamen diligenter considerata plane alia deinceps appareant. Profunda, ut sic dicam, inolitaque præiudicia contradictiones in re qualibet reperiunt, cum tamen, ut libere verum fatear, non nisi mala voluntas animusque debitæ considerationis impatiens, rem eo modo, quo ipsis videtur, ob oculos ponat. Et sane, si lites amarem, complures in schedis tuis contradictiones ostendere potuissem,

fem, tametsi tute audacter existimares, bene omnia sibi constare. Cæterum, quoties laborem studiumqve, eruditionem & iudicium à Scriptoribus Christianis in explicatione Scripturæ adhibitum recogito, cumq; illo crassas & indigestas quorundã objectiones adversû ipsam comparo, tum vel sola personarum disproportionem rem omnem litemq; facile componere posse videtur. Homo enim modestus de hisce talibus cogitat, apud se statuitq;, quod si huiusmodi conditiones in S. Literis occurrerent, quales quidem nunc videntur, tum tot præstantissimi eruditione ac pietate viri non primorum saltem seculorum Ecclesiæ Christianæ, sed & nostri ævi, quorum eo omnis opera tendebat, ut inquirerent in res istas, ante me utiqve easdem indicassent. At tantum abest, ut tale quid apud illos deprehendam, ut potius summam perpetuo Scripturæ, tanquam à DEO provenientes, venerationem ser-

varint, unde iudicii potius mei debilitati, eruditionisque debitæ defectui, aut ignoto hæctenus præiudicio cuidam adscribere malim, quod hanc in me suspicionem commovit, quam suspectam reddere famam tot bonorum virorum, qui tanta devotione scripturas venerati non fuissent, si contradictiones in iis reperiri credidissent.

Considerandum 2. suadeo perpendumque, in quo contradictio consistat. An illa deprehendatur in rebus magni momenti ipsamque religionem concernentibus, an vero in exiguis loci cuiusdam temporisve circumstantiis? sed ad quod respiciendum potissimum Tibi est, sunt res illæ, à quibus salus naturæ dependet, quarum si plena harmonia omnimodusque consensus sit, satis superque erit, quod ad fidem & praxin Christianam pertinere agnoscas. Et si in rebus exiguis contradictiones occurrere us-

que-

quedum videantur, nihil inde sequitur, nisi hoc, quod par cura rebus magni momenti notæque levioris impensa non fuerit. Quapropter apparentes istæ contradictiones circa res levidenses comparandæ sunt cum reali consensu in rebus maximi momenti, inferendumque potius exinde, nihil quidquam fraudis deceptionisve in Sacris Scriptoribus fuisse, quum ii, quibus decipere in animo est, amoliri abs se suspicionem exacta quarumlibet circumstantiarum observatione studeant; tametsi nimia evitandæ suspicionis sollicitudo eam excitare magis solet atque augere.

3. Considerandum porro, quibus modis viri eruditione & iudicio pollentes usi fuerint, ut ista S. Scripturæ loca à contradictionibus liberarent. Nam ne unam quidem objectionem produces, quæ non considerata diligenter atque ad amissim examinata fuerit ab interpretibus:

bus: quos nisi evolvere velis, eo ipso testaris, Te non nisi cavillandi animo hæc talia scrutari; imprimis vero, si istos solum Commentatores evolvas, qui sine iudicio ac doctrina scripturam aggressi sunt, neglectis melioribus, illisque qui clarius evidentiorique ratione eam exposuerunt. Id quod aut defectum iudicii ostendit, dum hujusmodi eligis interpretes, aut de candoris defectu desiderioque pugnandi triumphandique adversum scripturas sufficienter testatur.

4. Denique & hoc perpendas velim. Quam difficile nobis tanto inde temporis intervallo sejunctis sit Chronologiæ fundamenta exacte intelligere, aut rationem modumque computandi tempora jam olim usitatam adsequi; unde in omnibus hisce difficultatibus commodissimæ semper explicationes conciliandive modi amplectendi, cogitandumque errores nullibi facilius committ-

mitti à transcriptoribus potuisse quam in numeris, alienumque ab omni ratione esse, ut iste Liber, qui jure suo pro optimo omnium præstantissimoque habetur, ea solum de causa exagitetur rejiciaturque, quod aliqualis circa temporum computum differentia in eo occurrat. Nondum utique tam accurate perspectam habemus Hebræorū Chronologiam: nondum cognita sufficienter intercalationes: nondum consuetudines circa Genealogias observatæ, nondum definitum interregnis tempus cognovimus, quid ergo mirum, si dubia adhuc circa hæc talia supersint? Sufficit ergo ostendisse, improbabilia non esse, quæ in eorum solutionibus adferuntur; nec sufficiens ratio est, illorum causa scripturæ rejicere auctoritatem.

Sed ad illa nunc loca progredior, quæ, si rationem consulas, de istiusmodi rebus loqui putas, quales cum sapientia & bonitate divina non possint consistere,

iterum eaque desumpta tum ex Lege Mo-
sis, tum ex Historia Sacra seu Actioni-
bus Prophetarum.

Et è Mosaica quidem Lege prima
tua objectio desumpta est ex Exod. XXI. 7.
ubi de Parente filiam vendente sermo
est, quod incredibile videatur permitti
a DEO posse: quandoquidem istius-
modi contractus naturæ repugnet, inau-
ditamque in Genitore avaritiam argu-
at. At verò, hunc locum dum obje-
ctas, non considerasti, provisionalem
hanc solum Legem, diversamque mul-
tum permissionem ab ordinatione ali-
cujus rei esse, supposito eam contingere
aliquandò posse: eo nimirum in casu,
si quis Jus in filiam partiri cum alio vel-
let extrema sic necessitate urgente, uti
quidem Judæi interpretantur: sic tamen
ut filia non esset in conditione servitutis,
sed ut vel desponsaretur illi, cui tradeba-
tur aut ejus filio: cujus statuti ratio hæc

H

erat,

erat, ut promiscuæ puellarum venditiones pravæ libidinis causâ fieri solitæ cohiberentur. Judæi, optimi certe judicialium suarum Legum Interpretes, asserunt, hanc talem venditionem nunquam factam esse nisi ubi NB. præsumtio desponsationis fuisset; neque enim licuisse Parenti vendere filiam tali cuidam Viro, qui Lege prohibebatur eandem ducere; ut adeò hæc ipsa venditio quandam sponsaliorum rationem habuerit, cum puellæ aliorum tutelæ concredentur: ita tamen, ut si desponsatæ non essent, manere in aliorum potestate durante minorennitate juberentur ex Judæorum placitis: nisi aut redimeretur aut restitueretur in libertatem tempore Jubilæi aut mortuo Domino, aut tempus minorennitatis expiraret.

2. Supposito necessitatis casu licitum esse Parentibus visum est, uti liberis in commoda sua, non Judæis saltem, sed

&

& illis inter Gentiles nationibus, quæ magnam sapientiæ laudem adeptæ erant. Lege XII. tabularum apud Romanos Pater filium ter vendere poterat in propria commoda, referente Dionysio Halicarnassæo: quin & ante ista tempora non apud Romanos modo hic mos obtinebat, sed & magni habebatur, unde nec Decemviris, cum Leges reviderent, omittere eandem licebat; at sequentibus annis Lege Numæ Pompilii restringebatur ad tempus conjugum liberum antecedens, quod si enim uxorem duxisset filius, tum Pater, referente eodem Dionysio, vendere illum amplius haud poterat. Et duravit Lex ista usque dum Christiana Religio in Romanorum prævaleret Imperio: tametsi enim jam a Diocletiano prohibita fuisset, frustra tamen id erat, usque dum Constantinus Statuto sanciret, INOPIÆ PARENTUM PUBLICO SUMTU SUBVENIEN-

DUM ESSE. Quo non obstante, consuetudo tamen ista obtinuit exigente summa Parentum paupertate, ut patet ex Lege Theodosii Cod. 3. tit. 3. *Omnes quos Parentum miseranda fortuna in servitium, dum victum requirunt, addixit, ingenuitati pristinae restituantur.*

Imò ipsis quoque Constantini temporibus, non obstante Lege ab ipso lata, concedere aliis Jus in liberos, Parentes solebant, siquidem corpora illorum premerentur, præcipuè tamen cum adhuc essent sanguinolenti, ceu Lex loquitur, i. e. *recens nati*, Cod. Theod. L. 5. tit. 8. Lege Atheniensium, ante Solonis tempora, Parentibus vendere liberos integrum erat, uti constat ex Plutarcho L. III. vit. Apollon. Tyan. obtinetque hæc ipsa consuetudo hodiernum apud Chineses, si Parentes educandis sustentandisque liberis ineptos se esse deprehendant. Et sunt sanè

quæ

quæ dici pro Justitia illius possunt hæc duo. 1. Obligatio liberis incumbens, illosque obstringens, ut Parentum necessitatibus POSSIBILI MODO QUOCUNQUE succurrant. 2. Melior educatio ab aptioribus probabiliter expectanda; unde & Thebanis Lex erat, quâ parentes in casu paupertatis jubebantur liberos adducere ad Magistratum, quamprimum fuissent in lucem editi: qui illos aliis deinceps educandos concredebant, quibus eapropter stipendia solvebantur, ac *digna pro educatione præmia*. Sed verò hæc Lex inqvies, tolerationem Polygamiaë infert, quia dicitur, si aliam ducat uxorem, v. 10.

Neque ego nego, Legem Mosaicam receptam Polygamiaë consuetudinem supposuisse; sed & id tamen certum est, eam prout Polygamiam nusquam concedit, ita nec eandem expresse condemnare.

Quanquam enim dicamus,

H 3

Legem

Legem Christi multò excellentiorem, clarioremve esse, Matrimoniumque ad primævam institutionem reduxisse; difficile tamen admodum erit, probare Polygamix, qualis in V. Test. obtinebat, permissionem, Legi Naturæ ejusque principiis adeo adversari, ut hæc Lex Mosis a DEO proficisci non potuerit. Alias enim idem quoque dicendum esset de divortio, quod ipsis propter cordis duritiem, dicente Christo, permissum erat. Ex quo patet, DEUM non semper ea usque adeo exigere (omni vi) ab homine, quæ ipsi cum maxime placent, nec punire rigidius quæ ipsi displicent, atque hoc juxta Regimen ipsius quod Politicum quoddam imitatur.

Altera Lex, de qua litem moves, illa est, quam DEUS circa virginitatis explorationem sancivit Deuter. xxii. 13. &c. Et eam quidem ceu immodestam incertam-

tamque, Sapientiæ divinæ non convenire objicis. Ita nempe, non paucæ priscorum temporum, quin & nostræ ætatis apud Orientis incolas consuetudines miræ nobis videntur, quibus earundem ratio nondum adeò innotuit. Mihi verò, si quid judicare fas est, convenientius hoc in casu modestiusque videtur, nostrā potius ignorantia culpāre, quam Autorem earundem tam iniqua obtrectatione onerare. Et si literali verborum istorum sensu offenderis, ipsosmet inter Judæos plurimi regerent, ea figuratè de asserenda evidenter filiæ coram Judicibus innocentia intelligenda esse. Unde non Philo tantum, sed & Josephus panni expansionem omittit. Sed supponamus, ea literali planoque sensu accipi debere, non tamen deerunt, quibus vindicari hæc Lex possit. Quamquam enim hanc explorandi rationem, in hisce quoque oris obtinuisse sint qui

existiment, omnium tamen consensu quoad eam consuetudinem ad Orientis incolas recurrendum est, interque hos consulendi præstantissimi Arabum, Phyci. Unde apud probatos Scriptores reperias eundem hunc morem Ægyptiis, aliisque tum Africae, tum Asiae incolis in usu fuisse, ut adeo tam peregrinus immodestusve iis videri non potuerit ac nobis.

Neque probabilitate caret, particularia quædam fuisse, in ipsius quidem præceos hujus Legis descriptione non memorata, ex quibus certitudo explorationis colligi luculenter potuerit, quæle erat ætas conjugum, quæ apta Matrimonio tum censebatur (uti hodiernum in Orientalibus istis plagis) anno mox duodecimo, magnamque adeo certitudinem inquisitioni isti adferebat. 2. Ad modestiam Legis quod attinet, considerare prius debebas, eandem eo fine sancitam

citam fuisse, ut injustis innocentium diffamationibus iretur obviam, neque ad eò temere maritus uxoris famæ detraheret, quod quidem futurum frequentius erat, tum ob divortii libertatem, tum & servandæ eo in casu dotis commodum, si conjugem ante nuptias vitiatam fuisse, probare posset maritus. Cæterum, cum omnis istiusmodi exploratio post consummatum confectumque matrimonium, consentienteque familia universa suscipi debuerit, nulla utique diffamandi libertas ultra relinqvebatur; si vero obrectator deprehensus fuisset maritus, tum hæc ipsa evidentia productio innocentiam partis læsæ sufficienter declarabat, nullusque adeò diffamationi locus supererat.

Quæ cum ita se habeant, haud abfimilis mihi hæc lex videtur, alteri cuidam statuto de filio rebelli, de quo Judæi memorant, nullum de ejus executione ex-

emplum reperiri, poenamque transgres-
soribus dictatam omnem peccandi oc-
casionem praevenisse.

Et similem huic alteram legem fui-
se arbitror de aquis amaris Zelotypiae,
quam miram esse dicis, talemque, quae
suspicioso Judaeorum genio nimis indul-
geat; at melius certe judicare de ea de-
bebas, statuereque, ideò eam à DEO
O. M. datam fuisse, ut vel minima su-
spicandi occasio ex nimia uxoris cum a-
liis familiaritate caveretur, quandoqui-
dem Lex tam severam explorandi ratio-
nem dicit eo in casu, si mulier spreta
admonitione praecedanea persistat in fa-
miliaritate suspecta. Imo si legem dex-
tre considerasses, qualis Num. V. 12. 13.
extat, non difficile erat colligere, finem
ejus praecipue hunc fuisse, ut rigidae ad-
eò poenae intuitu uxores à secretis abhor-
rerent adulteriis. Quando ergo indul-
gere rationabili suspicioni DEUS ma-
luit

luit, (explicantibus ita Judæis, neque id sine cautelis atque limitationibus variis) quam perpetuis angustis suspicionibus conjuges, hancque adeo extraordinariam explorandi rationem poenamque adulterii severissimam sancivit, qua simul honor innocentiae publice vindicaretur, facile quivis perspiciat, hæc omnia neque sapientiae, nec bonitati divinae repugnare, sed palam de ea testari.

Tertia denique & ultima Lex Judaica, quam opponis, est prohibitio usurarum tum in Lege Mosaica, tum & Psalmis: quam dum allegas, usurarum simul legalitatem probare prolixè anniteris; sed quo fine quaeso? Id enim probandum erat, quod DEO usuras prohibere nunquam sit integrum. Neque adeo *opus erat miseratione tuâ*, de qua loqueris, *erga homines superstitione excæcatos, novisque & aëreis captos notionibus.* Luculenter enim ipsæmet schedæ

dæ tuæ testantur, illos, qui se hostes superstitionis esse prætendunt, æque cæcos esse atque alios, pari que facilitate aëreis ejusmodi conceptibus imaginationibusque captivari. Id vero, quod ad rem facere in discursu Tuo videtur, huc redit: quod non videatur dicendum de DEO, illum Legem quandam homini adeo inconvenientem ferre, remque ad eò simplicem ac indifferentem prohibere, qualis moderatum bonorum augmentum per pecuniæ loco fundi alicujus, aut ædis merciumve elocationem. Ad quod respondeo. Prohibitionem usurarum politicis innixam fundamentis Judaicæ nationi peculiarem, constitutionibusque illius gentis accomodatam fuisse, uti patet ex Deut. XXIII. 19. *Ne des in usuram fratri tuo - - - Extraneo dabis licet in usuram.*

At nulla alia Lex moralibus innixa communibusque principiis talem unquam

quam limitationem admittet. Nuspi-
am enim, ut exemplo rem declaremus,
ita statuit DEUS; Ne committas adul-
terium cum uxore fratris tui; cum uxo-
re extranei committas licet. Hic vero,
quod ad usurarum prohibitionem Ju-
daicæ nationi factam attinet, particula-
ris hæc ratio erat, quod DEO placuit,
habitationem gentis non ad maris litto-
ra, ceu Tyriis Sidoniisque concedere,
sed terram mercaturæ exercendæ minus
aptam dare incolendam, inque sola a-
griculturâ & pecuaria opes quærere jus-
sit, in qua vero reditus neque tempestivi
dari possunt, neque faciendæ compen-
sationi proportionati. Potissimum e-
nim, quod in pecunia æstimatur, fru-
ctus est, qui in mutuo accipientem ex ea
redundat; qui si magnus sit & notabi-
lis, æquum utique est, ut is, qui pecuni-
am elocavit, partem quoque ejus parti-
cipet elocationi proportionatam; at in

eo casu, quando quis pro praesenti necessitate pecuniam mutuatur, elocatio humanitatis potius actus est, iniquumque foret, si foenus exinde urgeretur, propriisque velificari commodis ex aliorum necessitatibus aliquis vellet.

Et de tali imprimis casu loquitur Lex Judaeis posita, quippe inter quos pecuniam non nisi pauperes praesenti necessitate compulsi mutuabantur: divites autem ad commercia opibus suis uti non poterant, nisi forsan Tyriis mercatoribus aliquid pecuniae elocarent, quod per Legem ipsis licebat. Itaque si usuram in propria gente exercuissent, illi solum fuissent mordendi, quos praesens necessitas urgebat, & qui parum pecunia ista lucrari poterant. Ex quo patet, justam admodum atque rationabilem, eam fuisse Legem, quae usuras vetuit; neque puto, daturam eam fuisse DEUM,

¶

si Judæorum regio maritima, & ad Phœniciorum littora fuisset sita, in quibus tanto in honore atque usu fuit mercatura.

Et hæc quidem leges sunt, quas ex universo Legum Judaicarum volumine excerpisti, tanquam divinæ repugnantes Sapientiæ. Quæso nunc Te, ipse ut tam exiguas tamque exiles atque infirmas objectiones tuas recogites, easque cum pondere, justitia, prudentia & pietate in reliquis expressa compares; et pudore credo suffunderis, quod tam præcipitanter temereque adversum leges Mundi temporibus gentique, cujus gratia latæ erant, adeo accommodatas, insurgere non erubueris.

Nunc ad ea devenio, quæ adversus Historiam Biblicam objicis, inter quæ

I. Occurrit locus Mosaicus Exod. XXXII. 33. Dele me ex libro, quem scripsi-

scripsisti. Ex quo ostendere conaris, Mosē damnationem suammet petiisse, id quod omni plane rationi repugnet, atque plus immoderati affectus, quam Divini Spiritus redoleat. Sed quid si dicamus, nihil quidquam ibi de damnatione haberi? Nam ne verbum quidem in textu est, quod eo respiciat, quin potius totum caput de poena temporali loquitur, quæ nihil aliud erat, quam præsentanea populi ob peccata destructio. Liber autem, è quo deleri se petit à DEO Mosēs, mihi videtur omnis alius fuisse, quam catalogus illorum, quos ad possidendum terram Chananæam DEUS elegerat; vox enim ספר proprie catalogum aut Indicem seu Registrum significat, Ps. LXIX. 30. ספר הים Volumen sive Liber viventium, quia veterum libri voluminis formam habuerunt. In hoc autem capite Mosēs pro populo apud DEUM intercedit, ut promissionem

nem

nem ipsi datam clementer impleat, gentemq; hanc in terram hactenus expectatam introducat v. 13. & v. 30. Ascensus ipsius in montem describitur eo fine factus, ut populum DEO reconciliaret, ejusque excidium in deserto averteret: in qua intercessione in deserto occidi se citius quam universam gentem deleri è volumine desiderat; accipiens mox DEI responsum v. 33. *Quicumque peccaverit adversum me, illum delebo è volumine meo*: quorum verborum idem sensus est, atque illorum Davidis: *Iuravit Dominus in ira sua, illos ad requiem suam non venturos.* Psal. xcvi. 11. Et juxta hanc interpretationem, quæ naturalis plane atque facillima est, vana omnino atque inutilis est prolixæ adeo, adversus preces pro damnatione suâ commentatio, quippe cui nec textus ipse, nec ejusdem connexio patrocinatur.

2. Displicet tibi Historia Ruth, eo quod haud levem redoleat immodestiam. At de ea quoque mitius pronuntiasses, si considerare primo voluisses, probatissimam hanc Viduam libere apud Boazum egisse, postquam a focu Naami accepisset, hunc ipsum illum esse, ad quem jus redemptionis spectaret, ipsamque ducendi facultas, à Lege concessa, Ruth. II. 20. Id quod apud illum pro se allegavit cap. III. 9. ex quo loco apparet, ipsam Boazum pro marito per Legem sibi debito habuisse; Boazus autem de ea tanquam virtuosa foeminâ loquitur, quippe cujus probitas universæ civitati cognita perspectaq; sit. v. 11. fateturque se proximum ipsi Agnatum esse, excepto Unico v. 12. unde colligitur, Boazum, nisi hic unus obstitisset, ne unicum quidem scrupulum fuisse moturum: referuntque Judæi, parum ceremoniarum hisce in matrimoniis

nūis requisitum esse, si nempe proximus consanguineus juri suo non renunciasset, quia Lex tale matrimonium jam ante definiverit. Quod sane unum si observasset, tot sine dubio alienæ observationes Tuæ, ad hanc historiam allatæ, potuissent omitti

3. Objicis adversus II. Sam. XII. 8. aperte nimis repræsentari eo in loco incestum aut adulterium, quia dicatur, DEUM Davidi conjuges Domini sui in sinum dedisse. At 1. miror sane, id a te proponi tanquam inconvenientem, adulterii descriptionem, quod ex proposito ad exprobandum Davidi adulterium à DEO allegatur. Cæterum difficile admodum Tibi erit probare per Mosaicæ Legis constitutiones, *Polygamiam esse adulterium*. 2. Judæi non male locum hunc interpretantur, cum statuunt, Viduam Regiam post mariti obitum nubere amplius non potuisse.

I 2

Vid.

Vid. Gemaram tituli Sanhedrin, in qua hæc traditio legitur. Et tametsi quidam inter illos sequantur opinionem R. Judæ, qui eam successori regis nubere posse statuit, ea tamen nonnisi unico hoc loco nititur, quem ita alii melius explicant, asserendo, vocem אִשׁוֹת nō denotare uxores Sauli, sed virgines aulicas, quæ omnes in Davidis potestatem pervenerint, & è quorum numero adsciscere in matrimonium potuerit quascunque vellet, ut tamen incestum non committeret. Quin etiam illi, qui licitum regi fuisse asserunt ducere Prædecessoris iduam, hoc tamen in casu dicunt, voce ista nihil aliud indicari, quam quod fuerint de Familia Sauli, uti Merab & Michal, non autem ejus conjuges. Ut adeo tota hæc difficultas ex interpretatione vocis alicujus minus usitatae provenierit, in cujus vero eruendo sensu Judæis

dæis potius credendum esse putem,
quam aliis.

4. Multum Te offendi ais, quod
Hoseas adulteram duxit in matrimoni-
um. At cessabit mox omnis difficul-
tas, à qua tantopere Tibi metuis, *modo*
Prophetica recogites Schemata, in quibus
ea dicuntur fieri, quæ tamen nonnisi ad
clariorem & vivam quasi rei iisdem si-
gnificatæ repræsentationem memoran-
tur. Quo fere modo hunc locum Ho-
seæ Chaldæus explicat interpres, doctis-
simusque Maimonides, ubi de Prophe-
tarum Parabolis disquirat, hanc ex Ho-
sea pericopem exempli loco allegat, quo-
cum & reliqui Judæorum Commenta-
tores consentiunt.

At contra isthanc docendi rationem
opponis, eam ad vitia excitare: sed fru-
stra hoc objicis, quum eo fine illa utan-
tur Scriptores S. ut ex o fac eadem reddant.
Scopus enim Prophetæ est, ostendere po-
pulo,

pulo, Idololatriam ipsius tam abominabilem esse coram DEO, atque ipsum adulterii crimen, quippe quam nihil nisi extrema ipsorum pernicies sequi possit.

Quo ipso simul indulgentissimum erga populum Israëliticum affectum suum declarat DEUS, quod nempe cum eo non egerit aliter atque maritus, qui ægre conjugem à se rejicit, tametsi thorum ab ea contaminatum esse sciat, quod è primo tertioque capite luculentius patet.

Et quid quæso in his est, quod bonis repugnet moribus? Annon DEUS sceleris cujusdam, quod ingens omnium confessione est, descriptione uti potest ad declarandam alterius minus hactenus agniti malitiam? Annon degener populus filius adulteræ possit comparari? nominibusque iis impositis detestatio improbitatis illorum exprimi? Idque eò magis, quando termini tam clare expli-

plicantur, uti capite secundo factum à
Propheta fuit.

At hæc, inqvies, tanqvam res facti
referuntur cum omnibus, quæ æd illa
spectant, circumstantiis. Fateor esse
talia, sed quid inde? Antiquissimus ita
parabolarum mos tulit. Talis parabola
Nathanis Davidi proposita; talis illa de
Divite & Lazaro in Nov. Test. Sic Je-
remias ad Euphratem proficiscitur abs-
condendæ Zonæ suæ causa; (neque
enim probabile est, Prophetam iter o-
ctodecim aut viginti dierum in hostilem
regionem hoc solum fine suscepisse.) Sic
Ezechiel uno cubat in latere trecentis &
nonaginta diebus, capite & barba, aliter
atque lex postulabat, compositis, obser-
vante Maimonide; itemque perfossio
in muros templi Hierosolymitani,
quum apud Babylonios esset, eidem im-
perata, & complura alia ejus generis,
quæ tam exacte enarrantur cum circum-

stantiis suis, atque hæc Hoseæ parabola, & nihilominus nonnisi pro figurativis expressionibus habenda sunt. Nobis, qui diverso docendi generi sumus adfueti, peregrina hæc videntur. At hæc ipsa usitatissima antiquis temporibus ratio erat, atque hodiernum in Oriente obtinet, ut officia hominis per parabolas ab aliorum factis desumptas repræsententur. Uti videre est in Locmano & Perzœ, præter illa, quæ Clemens Alexandrinus aliique quoad antiquissimum per parabolas docendi morem commemoraverunt.

Tandem & illa examinanda essent, quæ adversum Novi Testamenti Scripta objecisti. At vero & pauca illa sunt & exigua adeo, ut considerationem vix mereantur, præteriri que facile possint.

Ad miraculorum cessationem, quam in subsidium vocas, jam superius respondi:

di:

di: neque verbum iis in locis, quorum mentionem facis deprehendo, quod necessitatem illorum ad omnia Christianæ Ecclesiæ secula restringat vel in speciem.

Locus Marc. X. 29. 30. nonnisi de tali compensatione in hac vita loquitur, quæ cum persecutione potest consistere: sitaque adeo imprimis est in *αὐταρξία* quadam & tranquillitate interna, quam externis quibusvis fortunæ blandimentis Sapientes omni tempore longe anteposuerunt. Tametsi referente de se ipso non saltem, sed & reliquis in ministerio verbi Symmystis gentium Apostolo, DEUS abundanter ipsis provide- rit. *Ut qui nihil habent, inquit, & omnia tamen possident, quod ipsum nihil aliud est, quam illa à Salvatore promissa centuplex retributio.*

Id vero affirmare ausim, Te primum esse, qui obscuritatem Apocalypseos Jo-

anneæ contra auctoritatem Scripturæ
 objecit; quod idem est, ac si quis *quadraturam circuli* objiceret certitudini
 Mathematicæ. Concedamus non pau-
 ca in isto libro Mystico contineri, quæ
 nos capere non possimus, quid inde?
 Ideo ne hic liber aut alius quispiam divi-
 næ non erit revelationis? Neque vero
 prolixius, uti quidem poterat fieri, osten-
 dam, quam omni plane ratione hic ar-
 guendi modus destituatur. Id unum
 rogo, ut hæc ipsa, quæ, ut satis Tibi fie-
 ret, scripsi, diligentius consideres. Cæ-
 terum si respondere ad ea animus fuerit,
 breviter id quæso & clare, animoque,
 qualis rei tam gravi convenit, ab o-
 mni affectu libero age. Id quod unum
 abs Te nunc rogo.

Quod superest DEUM O. M. oro venerorq;
 ut tibi *σύνεσις* det *ἐν πᾶσι* Ego dum vixero non
 esse desinam sincero Tibi affectu addictus,
 atque ad officia humanitatis prom-
 tus paratusque.

MAN-

Cj

MANTISSA

De

DIVINITATE
SCRIPTURARVM

V. & N. T.

Ob Argumenti Similitudinem

huc adjecta.

Sive

CAPUT XI.

Ex

Libello Gallico Anonymi cujusdam,

Contra

Indifferentismum Religionis,

ANNO M. DC. XCII.

Amstelodami impresso

excerptum,

&

Latinitate donatum

à
M. B.



CHAPITRE XI.

De la

Divinité des Ecritures.



Comme il y a plusieurs personnes, qui ne veulent point reconnoître les livres du Vieux & du Nouveau Testament pour des livres divins, il est nécessaire d'établir cette vérité avant que d'aller plus avant, & c'est ce que nous ferons voir dans ce Chapitre en peu de mots, en attendant que nous le fassions plus amplement dans un autre Ouvrage, s'il plaît à Dieu.

Je ne croi pas qu'il soit aussi difficile de démontrer la Divinité des Ecritures, qu'il le paroît d'abord; car où il faut, qu'ils disent, que Dieu ne s'est point fait connoître, ou qu'il s'est revelé, mais qu'on ne peut savoir où est cette Revelation; ou il faut qu'ils confessent qu'elle se trouve dans l'Ecriture, ou qu'ils nous indiquent où elle est. Ils ne peuvent pas dire que Dieu ne s'est point fait connoître, car nous avons prouvé dans le Chapitre precedent,



CAPUT XI.

De

Divinitate Scripturarum.

Quandoquidem complures eorum sint, qui libros Veteris & Novi Testamenti, ut divinos agnoscere nolunt, ideo stabiliendam omnino hujus Assertionis veritatem prius ducimus, quàm pedem ulterius promovere liceat; quod quidem hoc ipso capite paucis ostendemus, idque tantisper, donec id ipsum in alio quodam Opere, si Deo ita visum fuerit, fusiùs præstare queamus.

Cæterum non usque adeò, meâ quidem sententiâ, difficile est, uti primo quidem intuitu id videtur, Scripturarum demonstrare divinitatem. Unum enim istiusmodi homines statuere necesse habent, scilicet Deum vel planè non se manifestasse, aut revelasse se quidem Numen illud, certò tamen sciri non posse, ubi illa revelatio extet; vel denique fatendum illis erit, reperiri eam in Scriptura Sacra, vel si hoc nolint, indicandum ipsis erit, ubi nam aliàs ea deprehendatur? Jam verò dicere nequeunt, Deum se prorsus non manifestasse; superiore

dent, qu'on ne le peut soutenir sans avoir une idée très-indigne de Dieu. [L'idée que nous avons de Dieu, est l'idée d'un être bon & bien-faisant. Or quelle idée auroit on d'un Dieu qui auroit fait des creatures, & qui voudroit se cacher à elles; qui leur auroit donné une raison pour connoître des veritez, & qui ne leur auroit point voulu reveler celles qu'il leur importe le plus de savoir?] Ils ne peuvent pas dire que Dieu s'est revelé, mais qu'on ne sait point où est cette Revelation, car pourquoi Dieu se seroit-il revelé, si on ne sait pas le Livre où il a déclaré sa volonté aux hommes? Il faut donc qu'ils confessent, que Dieu s'est fait connoître dans les livres du Vieux & du Nouveau Testament, car ils ne sauroient nous en indiquer un autre, parce qu'il n'y en a point qui ait plus de caracteres de Divinité; & ces caracteres sont si visibles, qu'il faut s'aveugler volontairement pour ne les voir pas.

En effet que souhaitteroit on dans un Ouvrage qui eut Dieu pour Auteur, qu'on ne trouve dans ces Livres Sacrez? Qui est ce qui ne regarderoit comme un Livre divin.

(1.) Un

periore namque capite probatum dedimus, afferi id non posse, nisi conceptâ indignissimâ divini Numinis ideâ. [Hæc enim, quam de Deo concipimus idea, ipsum nobis repræsentat ut Ens & Bonum & Beneficum. Quæ enim quæso foret Idea illa Numinis alicujus, quod equidem Creaturas produxisset, quibus se tamen abscondere vellet? quodque rationem sanam iis indidisset, ad cognoscendas veras rerum notiones, ita tamen, ut negare simul his voluerit revelationem earum, quas præ cæteris nosse ipsorum maximè interest.] Deinde nec illud dicere possunt, Deum quidem se revelasse, nec tamen constare, ubi nam revelatio illa deprehendi queat: cur enim quæso se manifestasset Deus, si omninò ignotus esset liber ille, in quo Deus hominibus suam declaravit voluntatem? Fatendum ergò illis erit, Deum se cognoscendum exhibuisse in libris Veteris & Novi Testamenti, cum ipsimet alium Codicem indicare nobis nequeant, ideò quod nullus alius hanc in rem ullibi extet, qui plures divinitatis suæ characteres habeat, & quidem adeò visibiles, ut destinatâ voluntate excæcatos esse oporteat illos, qui nihil eorum perspicere velint.

Et sanè, ut in rem præsentem veniamus, quid quæso desiderari posset in Volumine, cujus author Deus ipse, quod non in his ipsis libris sacris deprehenderetur? Ecquis non suspiceret ceu librum divinum, illum quidem

Librus

(1.) Un Livre, qui nous enseigne des vérités si grandes, & si sublimes, que les hommes n'auroient jamais été capables de les inventer; mais qui cependant ont une étroite liaison avec les notions communes, que la Nature, ou plutôt le Dieu de la Nature, a imprimé dans les esprits; & qui les enseigne d'une manière si grande & si simple en même tems, que quoy qu'on n'y voye paroître aucun des ornemens de l'éloquence mondaine, on y trouve pourtant tout ce que l'Art du monde ne sauroit donner, une souveraine autorité qui imprime le respect dans l'ame de ceux qui la lisent, & une douce facilité qui attire, & qui captive toute leur attention.

(2.) Un Livre, qui nous donne la plus grande idée de Dieu qu'on puisse concevoir, qui nous le décrit comme un esprit pur qui n'a point de commerce avec la matière; un Esprit infini qui est par tout, & un Etre tout-puissant qui fait tout, qui a créé le monde de rien, qui le conserve par sa Providence, qui est le Directeur de tous les événemens, le Maître absolu de toutes choses, le juge des Hommes & des Anges.

(3.) Un

Librum (1) qui nobis tam grandia, tamq; sublimia tradit dogmata, quibus suopte ingenio inveniendis homines nunquam sufficientes vel idonei fuissent, quæ tamen ipsa interea tam arcto vinculo cum notionibus illis communibus, quas Natura, vel potius Deus ipse Naturæ Author hominum animis impressit, cohærent, quæque in hoc ipso Libro modo simul quodam tam sublimi quàm simplici juxta traduntur, ut nullo licet eloquentiæ mundanæ apparatu & ornatu apparente, nihilominus tamen omne id inibi reperire liceat, quod Mundus ipse omni suâ arte suppeditare nequit; supremam inter alia dicentis auctoritatem, quæ venerationem quandam Lectoris animo inspirat, & jucundam juxta styli facilitatem, quæ omnem legentis attentionem in sui amorem trahit, captivamque ducit.

Librum (2) qui nobis optimam maximam Numinis ideam subministrat, quanta quidem concipi possit, Deumq; nobis describit ceu Spiritum purum & merum, nihil commercii cum materia habentem, ut Spiritum infinitum, ubique præsentem, & tanquam Ens omnipotens, quod omnia gerit facitque, quodque mundum primùm ex nihilo creatum adhuc dum Providentiâ suâ conservat, omnium quæ fiunt & eveniunt Director, omnium item rerum supremus Dominus, hominum deniq; Angelorumque Judex existens.

(3.) Un Livre, qui nous explique clairement ce que la raison humaine ne découvroit qu'avec beaucoup d'imperfection, qui ne fait point de censures & d'exhortations que la conscience ne trouve très-justes; qui ne promet rien que la conscience ne desire, qui ne fait point de menaces que dans les choses que la conscience craint; car de là ne paroît il pas, que ce Livre a pour son Auteur, l'Auteur de la conscience?

(4.) Un Livre, qui anéantit l'homme devant Dieu, en lui faisant connoître son néant, sa profonde misere, sa corruption naturelle, son péché; qui fouille tous les retranchemens de nos ames pour nous faire connoître les vices secrets qui y sont, comme la vanité, l'orgueil, l'amour propre, l'amour du monde, l'amour de la vengeance, les semences de l'incrédulité, & de la profanité.

(5) Un Livre, qui combat tous les pechez sans en omettre aucun, même ceux qui nous paroissent les plus legers, & plusieurs qui ont été inconnus aux Sectes les plus austères des Philosophes, le moindre regard, la moindre pensée, tous les mouvemens de la concupiscence, toutes les apparences du mal.

Librum (3) qui nobis ea, quæ ratio humana non nisi valdè imperfectè ob oculos ponere poterat, clarissimè exponit; nullas porrò morum censuras, nullas exhortationes affert, quas non ipsa conscientia pro maximè justis dignisq; habeat; nihil etiam promittit, quod conscientia non desideraret, nullas vicissim promit comminationes, nisi ubi conscientia sibi ipsi inde metuit: quidnì ergò vel hinc quoque patesceret, *Librum* hunc eundem cum ipsa conscientia habere Autorem?

Librum (4) qui hominem coram Deo annihilat quasi, eique nihilum illud suum cognoscendum proponit, nec non profundam ejus miseriam, corruptionem ipsius naturalem & peccata varia: quique porrò omnes animorum nostrorum recessus etiam intimos excutit, ut notitiæ nostræ vitia, quæ ibi latent, secreta sistat, ut puta vanæ affectationem gloriæ, fastum, amorem tam sui quàm mundi, vindictæ item cupiditatem, incredulitatis denique profanique sensûs semina.

Librum (5) qui omnia in universum peccata, vel unico nequidem omisso, acriter impugnat, etiam ea, quæ nobis quidem levissima videri poterant, quin & complura talia, quæ etiam maximè austeris veterum Philosophorû Sectis prorsus fuerant incognita, minimum mentis obrutum, cogitationemque, omnes quoque concupiscentiæ motus, quamlibet denique mali speciem.

(6.) Un Livre, qui ne se contente pas de nous prescrire une Sainteté extérieure, mais qui veut que nôtre ame soit aussi pure que le corps, & qui veut même que nous portions la vertu jusq'à un degré heroique, & que nous soyons semblables à Dieu.

(7.) Un Livre, qui veut que nous n'ayons point d'autre regle de nos actions que la Loi & la Volonté du Dieu, & point d'autre fin que sa Gloire, & qui exige de nous que nous aimions souverainement, & par dessus toutes les choses du monde, l'Autheur de nôtre être, & que nous aimions nôtre prochain comme nous-mêmes.

(8.) Un Livre, qui n'a rien dans toutes ses parties qui se démente, & qui ne presente à nos yeux l'idée d'une sagesse infinie, semblable à celle qui se voit dans ce vaste univers: Bien que ceux qui ont employé leur plume pour l'écrire, n'ayent eu aucune communication entr'eux, & qu'ils ayent été separez par une longue suite de siècles, ce qui fait voir, qu'ils ont tous été animez d'un même Esprit, & qu'il y a eu au dessus d'eux un souverain Maître, qui a presidé sur tout cet Ouvrage.

(9.) Un Livre, qui a prédit de grands événements plusieurs siècles avant qu'ils soient arrivés.

Librum (6) qui non satis habet, sanctimoniam quandam externam nobis præscribere, sed munditiam animæ nostræ æquè ac corporis imperat, quin imò jubet, ut virtutem ipsam usque ad gradum quendam heroicum provehamus, indeque Deo ipsi similes efficiamur.

Librum (7) cujus jussu nulla alia actionum nostrarum debet esse regula, quàm ipsa DEI Lex, ejusque voluntas; nullus quoque alius earum finis, quàm ipsius gloria; quique prætereà à nobis exigat, ut summis modis, adeoque suprà omnia alia mundana, diligamus Authorem vitæ nostræ, proximum verò ut nosmet ipsos amemus.

Librum (8) qui nullâ sui parte aliquid, quo mendacii seipsum argueret, continet, quin potius oculis nostris ideam & speciem infinitæ alicujus sapientiæ objicit, similem illi, quæ ex aspectu hujus universi elucet: etiamsi interea illi, qui calamum suum ad conscriptionem hujus Libri applicarunt, inter se nihil prorsus communicaverint, quin potius longo admodum decurrentium aliquot seculorum intervallo ab invicem separati fuerint, id quod clarè ostendit, ipsos uno eodemque spiritu animatos scripsisse, & suprâ se supremum quendam Magistrum habuisse, qui universo huic operi ceu Præses astiterit.

Librum (9) qui insignes admodum eventus pluribus adhuc seculis prius, quàm re ipsa contingere, prædixit, & quidem tanta cum cer-

arrivez, & avec tant de certitude, qu'on diroit plutôt, que c'est un recit des choses passées, qu'une prediction de celles qui sont à venir, ce qui fait voir, qu'il part d'un esprit à qui tout est present, qui voit tout, & qui luit clairement dans les tenebres de l'avenir, parce que rien n'arrive qu'il n'ait ordonné.

(10.) Un Livre, qui après avoir découvert à l'homme qu'il est criminel, & coupable envers une Maïesté infinie, qui veut être satisfaite, lui apprend en suite le véritable moyen par lequel il a été reconcilié avec son Juge, & lui fait voir une Personne divine, qui descend des Cieux pour prendre une Nature humaine semblable à la sienne; qui dans cette Nature souffre une mort cruelle; qui satisfait par cette mort la justice de Dieu, éteint l'ardeur de sa colere, & expie nos pechez, que le sang des taureaux & des boucs, & toutes les purifications de la Loi n'auroient pû expier.

(11.) Un Livre, qui appaise tous les troubles de l'ame, ce que tous les livres du monde n'auroient jamais pû faire, qui nous rassure contre toutes les frayeurs, que peuvent nous causer la consideration de nos pechez, la pensée de la mort, & d'un jugement à venir,

&

titudine, ut dicendum potius videatur, narrationem præteritorum magis, quàm prædictionem futurorum ibi recitari: unde perspicere licet, à tali spiritu hæc provenire, cui omnia sunt præsentia, qui omnia videt, inq; mediis futurorum tenebris clarissimè ipse lucet, quandoquidem nihil omninò evenit, quod ipse non ita constituerit.

Librum (10) qui, postquam homini apertum fecit, quàm culpabilis ipse, & reus quidem lætæ Majestatis cujusdam infinitæ sit, quæ satisfieri sibi cupit, eum post idem informat, quodnam idoneum illud medium sit, cujus interventu Judici suo reconciliatus fuerit, ostendendo ipsi personam quandam divinam, quæ de cœlis descendit, ut naturam humanam suæ prorsus similem assumeret, inque ea crudelissimam sustineret mortem, qua ipsa justitiæ divinæ satisfecerit, iræ divinæ excandescentiæm restinxerit, peccataque nostra expiaverit, quæ quidem sanguis neque taurorum neque hircorum, neque omnes in universum lustrationes legales eluere potuissent.

Librum (11) qui omnes perturbationes animi sedat, quod omnes in universum libri, qui in orbe extant, præstare nunquam potuissent: qui & adversus omnes terrores nos confirmat, quos quidem consideratio peccatorum nostrorum, & recordatio mortis, futuriq; judicii in nobis excitare queunt, vicissim verò animos nostros istiusmodi pace & lætitia replet,

Et qui nous remplit d'une paix & d'une joye, qu'on ne peut ni exprimer ni concevoir.

(12.) Un Livre, dont la Doctrine remplit tous les besoins de l'ame, satisfait à tous ses desirs, car on ne sauroit douter, qu'un livre, où nôtre ame, dont les desirs sont infinis, trouve de quoi se satisfaire pleinement, ne soit la production d'un Dieu, qui pouvant lui seul connoître ce que nous souhaitons, peut aussi nous contenter lui seul.

(13.) Un Livre, dont la Doctrine produit de si grands effets, que dès qu'elle est une fois reçue dans nos cœurs, rien n'est capable d'ébranler nôtre constance & nôtre foi, non pas même les plus cruels supplices

(14.) Un Livre, dont la Doctrine a été reçue dans le monde, malgré tous les efforts du Diable, quoi qu'elle ne fut annoncée que par des pêcheurs & des peagers, & qu'elle eut pour ennemis les plus éloquens Orateurs, les plus subtils Philosophes, des Rois & des Empereurs très-puissans, qui faisoient souffrir les plus cruels tourmens à ceux qui les prêchoient.

(15.) Un Livre, qui a été confirmé par une infinité de miracles, & par le sang d'un grand nombre de Martyrs, de tout ordre, de tout sexe; de toute condition, de tout âge.

(16.) Enfin

quæ quidem nec concipi satis, nedum exprimi potest.

Librum (12) cujus doctrina omnia animæ nostræ necessaria plenè præstat & omnibus ipsius desideriis satisfacit; ubi sanè dubitare adhuc nefas est, utrum istiusmodi liber, in quo anima nostra, cujus desideria infinita esse possunt, omnia tamen plenè habet, quibus plenè sibi satisfacere queat, fœtus alicujus Numinis sit, nec ne? cùm enim solus Deus, ea quæ animo cupimus, per noscere queat, ipse etiam solus est, qui desideria nostra explere potest.

Librum (13) cujus doctrina tam egregios producit effectus, ut, ex quo semel illa in cordibus nostris firmiter recepta fuit, nihil dein constantiam fidemque nostram, ne quidem crudelissima supplicia, labefactare valeat.

Librum (14) cujus doctrina in universo orbe, invito licet Satana, & nequicquã contrahente, recepta fuit, ut ut non nisi per ministerium Piscatorum & Publicanorum annuntiata fuerit, & ex adverso facundissimos Oratores, subtilissimos Philosophos, potentissimosque Reges & Imperatores hostes habuerit, qui crudelissimis cruciatibus præcones ejus affligebant.


Librum (15) qui infinitis miraculis, & sanguine insuper Martyrum maximo numero omnis ordinis, sexûs, statûs & ætatis corroboratus fuit.


Librum

(16.) Enfin, Un Livre, qui a subsisté jusques à present, quoi qu'on n'ait rien oublié pour l'anéantir, tandis que tant d'ouvrages ont péri, qui sembloient devoir autant durer que le Soleil.

Si ce n'est pas-là l'Ouvrage de Dieu, qu'on nous dise ce qu'on appelle un Livre divin, & qu'on nous en montre un, où l'on trouve tous ces caractères ainsi rassemblez. Mais c'est ce qu'on ne fera jamais.

Il est donc constant que Dieu s'est revelé aux hommes, & que cette Revelation se trouve dans les livres du Vieux & du Nouveau Testament, & c'est ce qu'il falloit prouver.





Librum denique (16) qui in præsentem usque diem inconcussus perstitit, quamvis nihil omninò pro ejus abolitione intentatum relictum fuerit : dum interim tot egregia Volumina periére, quæ ex hominum opinione tam diu, quàm Sol ipse, durare debebant.


Quodsi itaque hujusmodi liber Opus ipsius DEI esse nequeat, dicant quæso nobis secus sentientes, quem tandem librum divinum appellari velint? monstrentque nobis hujus notæ aliquem, in quo omnes hi characteres in unum ita collecti reperiantur, id quod nunquam præstari poterit.

Constans igitur, firmumque est, Deum hominibus se revelasse, illamque revelationem in Libris Veteris & Novi Testamenti deprehendi, id quod erat demonstrandum.



*Errata extantiora, quæ per absentiam In-
terpretis irrepsērunt, ita corri-
gantur :*

Pag. 15. lin. 17. pro cognoscantur lege co-
gnoscatur. ibid. lin. 19. post subvertere dele.
Pag. 16. lin. 15. supra tantum dele. Pag. 22.
lin. 8. lege obediat. Pag. 25. lin. 10. lege ipsos.
Pag. 29. lin. 10. dele rursus. lin. 6. ab initio le-
ge: se exponeret. ib. lin. 15. lege: nonne ludi-
brio is nostro se. Pag. 34. lin. 3. lege: genera-
lior. lin. 9. lege: animum. Pag. 39. lin. 2. lege:
seculo. Pag. 40. lege: bella lasciviamque com-
mendantis. lin. 14. lege: Et quum. lin. 19. lege
Gentesque cum. lin. 20. lege: reliquas cum.
Pag. 44. lin. 15. lege: quum. Pag. 61. lin. 18. le-
ge: afferunt. Pag. 81. lin. penult. lege Atqui.
Pag. 87. lin. 4. dele ejusdem, & lege filii. Pag.
90. lin. 3. leg. allegas. Pag. 101. lin. 16. leg. pro-
ductio. Pag. 106. lin. 12. leg. contradictiones.
Pag. 126. lin. 14. leg. NON alius.



Jc 146


8

WMA




m.c.





Handwritten text on the spine, likely a library or ownership mark, including the word "Herrn" and other partially legible characters.





B.I.G.

Farbkarte #13



^{b.}
 EDUARDI
 LINGFLEETI,
epi Vigorniensis Angli,
 STOLA
 DEISTAM,

QUA
 SAS EJUSDEM ADVERSUS S.
 M OBJECTIONES SOLIDE RE-
 SIMULQUE RELIGIONIS CHRISTIANÆ
 IM LITERARUM VERITAS ATQUE
 ITAS PERSPICUE GRAVITERQUE
 VINDICATUR.

SAS ADAMUS HOCH-
 STETTERUS
 CANO IN LATINUM SERMO:
 CONVERTIT LUCIQUE PU-
 BLICÆ
 PLURIUM VOTA EXPONI
 CURAVIT.

ULMÆ,
 GEORGII GUILIELMI KÜHNII,
 l. Christiani Balthasar. Kühnens.
 CIO IDC XCV.

